





1673, 11
25
10
19
57
I. N. J.
DISCURSUS JURIDICUS
INAUGURALIS

De
**TITULI PRÆ-
SUMPTIONE,**

QUEM
EX DECRETO ET AUCTORITATE
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS
IN ILLUSTRIS ET PERANTIQUA UNIVERSITATE
ELECTORALI ERFURTENSI

PRO LICENTIA
Summum in utroque Jure Titulum, ejusque privi-
legia Doctoralia legitime consequendi,

Et quidem horis antemeridianis

SUB PRÆSIDIO
FRATRIS CHARISSIMI

JOHANNIS HENRICI
DÜRFELDII, J. U. D.

Horis autem pomeridianis

ABSQUE PRÆSIDE

PUBLICÈ tam DN. PROFESSORUM, quàm CANDI-
DATORUM EXAMINI submittit

JOACHIMUS ANDREAS Dürfeld/

In Auditorio Coelico Mariano.

Die 30. August. ANNO Cl. Id. LXXIII.

ERFURTI, LITERIS KIRSCHIANIS.



REUERENDISSIMO, SERENISSIMO ATQUE CELSIS-
SIMO PRINCIPI AC DOMINO

DN. AUGUSTO,
POSTULATO ADMINISTRATO-
RI PRIMATUS AC ARCHIEPISCO-
PATUS MAGDEBURGENSIS, DUCIS SAXONIÆ, JU-
LIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM, LANDGRAVIO
THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, NEC NON
SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ,
COMITI MARCÆ ET RAVENSBUR-
GI, DOMINO IN RAVEN-
STEIN &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Regiminis felicitatem, Illustrissimæ Domûs
Incrementum, Vitæ sub aureæ pacis
Coronâ prosperitatem

Devotissimè apprecando


DISCURSUM HUNC INAUGURALEM

eâ, quâ par est, reverentiâ humillimâ

consecrat

subiectissimus Cliens

JOACHIMUS ANDREAS Dürfeld,



DISCURSUS JURIDICUS,

De

TITULI PRÆSUMPTIONE,
CONCLUSIO I.



Ullam ferè esse causam, de qua in judiciis frequentius disceptatio oritur, quam domini & possessionis, certò constat. (a) Quoniam verò nequè possessio justa, nequè dominium firmum reputatur, nisi ex legitimo titulo suam traxerit originem, (b) Ideò de titulo quam sepissimè cum in petitorio, tum possessorio (c) magna exsurgit controversia. Proinde perutile, perque necessarium est, scire non saltem qui & quotnam justi & ad transferendum dominium habiles habeantur in Jure tituli (d) quæque singulorum qualitas sit, & natura, (e) sed etiam quomodo illi aut legitime probari, aut unde eorum firma præsumptio deduci vel desumi possit.

(a) Ab eo enim statim tempore, quo dominiorum distinctio introducta est, inexplebilis ferè acquirendi cupiditas animos hominum invasit, ut nemo amplius sua sorte contentus esset, sed multi eò maximo laborarent opere, quò id, quod alterius est, ipsorum adjiceretur bonis, justa an injusta id fieret causa vel titulo parum pensitantes. Hinc sæpè magna & immortalia penè de MEO & TUO excitata litigia,
A ita

19

1

2

eld,



ita'ut non malè Philosophus dixerit: quod non prius quietè
in mundo vivere liceat, nisi hæc duo auferrentur è medio,
MEUM & TUUM, tanquam occasio omnium litigiorum, c.
dilectissimis 2. q. 1. jung. VAL. WINTH. in *Partb. litig. l. 1. c.*
7. num. 9.

(b) Titulus namque est basis & radix domini, ex quo illud
pullulat, DOM. à SOTO 1. 4. de *just. & jur. q. 1. art. 1.* Qui
si insufficiens est & illegitimus, acquisitio stabilis esse ne-
quit, quia à primordio tituli posterior formatur eventus,
l. 8. pr. ff. mand. l. unic. C. de impon. Lucrat. descript. lib. 10.

(c) Quamvis quidem tituli justificatio regulariter in possesso-
rio locum non habeat, sed ad iudicium proprietatis seu pe-
titorium rejiciatur *l. 2. C. quor. bon. KLOCK. de contrib. c. 19.*
n. 98. utile tamen ac nonnunquam etiam necessarium est,
ut pro colorando & adjuvando possessorio articuli quoque
super titulo formentur & conficiantur. Titulata enim pos-
sessio nudam vincit, & probans simul titulum præfertur al-
teri de possessione tantum docenti *Text. in c. licet causam*
X. de prob. l. 16. ff. si ser. vind. vid. CARD. TUSCH. tom. 4.
concl. 286. n. 22. lit. I. SCHNEIDEW. ad §. 4. J. de Interdict. n.
87. GAIL. de pign. obs. 22. n. 10. & seqq. HAHN. ad WE-
SENB. tit. uti possid. verb. hodie tamen. Ibiq; alleg. Mind. de
Interd. & Cluden. lib. rer. quotid. e. 8. sect. 4. n. 77. & 78.
CARPZ. lib. 3. Resp. 73. n. 19. & seqq.

(d) Quales qui sunt, maximam partem exponunt *l. 3. cum qua-*
tuor seqq. ff. de publ. in rem act. & l. 3. §. 21. ff. de acq. vel
amitt. possess. Veluti (1.) Emtio, Venditio: (2.) Dos. (3.)
Judicatum. (4.) Solutio. (5.) Noxæ Deditio. (6.) Adjudi-
catio. (7.) Jussio Servum ex noxali causa ducere. (8.) Litis
Æstimatio. (9.) Donatio. (10.) Permutatio. (11.) Jusju-
randum. (12.) Legatum. (13.) Hereditas. Quibus addi
potest (14.) Missio in possessionem ex secundo Decreto pro-
pter causam damni infecti *l. 15. §. 16. & 33. ff. de damn. in-*
fect. l. 1. de fund. dot. (15.) Titulus Cessionis, l. 33. §. 3. de
usurpat. Item (16.) Transactio, l. 29. d. t. l. 8. C. pro Empt.
Nec non (17.) Titulus pro suo, t. t. ff. pro suo. Specialis
nimirum de quo videtis HAHN. ad WESENB. h. tit. Et (18.)
Titulus

Titulus pro derelicto l. 4. § t. t. ff. pro derelict. ut & omnes alii tituli, qui ex Jure Gentium originem ducunt, & cum modo acquirendi in idem planè concurrunt, quos explicant tit. Inst. § ff. de acquir. rer. domin.

(e) An videlicet titulus ex ultimâ voluntate an verò ex negotio gesto inter vivos promanaverit; An sit universalis vel singularis. Item an onerosus sit vel lucrativus: Notitia enim hæc in multis Juris articulis non exiguum habet effectum: quæ tamen omnia latè persequi non est hujus loci. Sufficiat ex his pauca quædam attingere & quidem I. quod de alimentis titulo ultimæ voluntatis relictis transigere non liceat, nisi autore Prætoris. In alimentis autem ex contractu debitis transactio indistinctè procedat l. 8. pr. §. 1. § 2. ff. d. transact. DN. STRUV. Exerc. 6. th. 58. II. Quod restitutio in integrum ex capite alienationis judicii mutandi causa factæ non impetretur, si alienationem titulus ultimæ voluntatis præcesserit, sed requiratur alienatio inter vivos l. 8. §. 3. ff. de alien. Judic. mut. caus. fact. III. Quod filius familias de peculio adventitio extraordinario sive in quo plenum jus habet, per ultimæ voluntatis titulos disponere prohibeatur, inter vivos verò liberum circa illud habeat disponendi arbitrium Nov. 117. cap. 1. §. 1. LUDW. in Synops. Jur. feud. c. 5. p. 120. IV. Quod jus accrescendi exceptâ donatione Principis locum solummodò habeat in acquisitis s. delatis ex titulo ultimæ voluntatis, non autem ex negotio gesto inter vivos. CARPZ. p. 2. decis. 134. V. Quod in dubio titulus universalis magis à lege præsumatur quam singularis. l. sive possidetis 16. ubi hoc notat SICHARD. n. 2. C. de prob. KLOCK. Vol. 3. Cons. 182. n. 76. VI. Quod singularibus titulis parta pro acquisitis censeantur, non pro avitis seu hereditariis, COTHM. Cons. 40. n. 71. seqq. Vol. 1. VII. Quod mala fides prædecessoris in continuanda præscriptione noceat ei, qui universali titulo successit, singulari autem successori non sit impedimento, MYNSING. Cent. 4. obs. 6. n. 7. c. 8. Diss. cum Molin. tr. 2. D. 65. n. 1. DN. STRUV. Exerc. 43. th. 18. cujus opinio verior videtur per generalitatem l. 13. §. 1. de acquir. poss. VIII. Quod singularis succes-

successor ex sua possessione b. f. acquisita, præscriptionem inchoare possit, l. 4. C. de R. V. l. 2. §. 17. pro Empt. l. 5. de divers. & temp. præsc. Universali verò successori hoc non fit licitum, l. 11. C. de acq. poss. l. 11. de div. & temp. præsc. l. 4. §. 15. l. 10. ff. de usuc. & usurp. l. 3. C. Comm. de usucap. STRUV. d. loc. Et quod IX. pro avertenda querela inofficiosi testamenti jure novo necesse fit, ut legitima liberis à parentibus non singulari, sed universali titulo relinquatur N. 115. c. 3-4. 5. RICHT. 1. Decis. 40. Nec non X. Quod creditor adversus sui debitoris successores universales, non verò singulares executivè agere valeat, CARPZ. in Process. Jur. tit. 22. art. 3. n. 18. Item XI. Quod jura plus faveant titulo oneroso, quam lucrativo, MEV. ad Jus Lub. lib. 1. tit. 9. art. 1. n. 5. Undè (1.) Titulus onerosus actum aliàs per se non sufficientem reddit firmum ac validum: qualis tamen effectus titulo lucrativo denegatur RICHT. p. 3. Conf. 15. n. 13. (2.) Etsi privilegium gratis, i. e. ex causa lucrativa subdito concessum à Principe pro lubitu revocari potest, secus tamen se res habet, si concessio mediante titulo quodam oneroso veluti per modum contractus vel in remunerationem meritorum facta sit. ZOES. ad P. lib. 1. tit. de Const. Princ. n. 30. Vid. AYM. CRAVETT. de antiq. temp. p. 1. sect. 1. n. 54. & seqq. (3.) Tutor quidem in rebus pupilli immobilibus ex Decreto Magistratus feudum constituere potest, si titulus onerosus interveniat, gratis non potest, LUDW. d. Synops. c. 5. p. 113. (4.) Litis denunciatio obtinet saltem in acquisitis ex causâ onerosâ, nõ ex lucrativâ, CARPZ. d. Proc. Jur. tit. 4. art. 3. n. 6. & seqq. (5.) Si filius feudum paternum titulo oneroso acquisivit, parentis factum præstare non tenetur, secus si lucrativo RICHT. p. 2. decis. 79. n. 61. Porro (6.) licitum quidem est patri alienando omnia sua bona filios legitimâ privare in totum si alienatio per titulum onerosum facta sit; Donando non licet. GAIL. 2. obs. 116. n. 5. (7.) Remissum sibi à creditore ex causâ onerosâ mandati actione repetit fidejussor à debitore: ex lucrativa autem causa facta remissio repetitioni non subjacet l. Idemq. 10. §. f. & l. 12. Pr. ff. mand. MEV. p. 3. d. 342. Quam-

19
A 57
Quamvis ergo ex dictis luculenter pateat, quod onerosus
titulus lucrativum maximam ex parte superet, majorisque effi-
caciae sit, accidit tamen interdum, ut titulo lucrativo ma-
gis faveatur, quam oneroso. Sic (1.) in bonis per titu-
lum lucrativum alienatis jus retractus non habet locum.
ROSENTH. de feud. c. 9. membr. 2. conclus. 90. n. 7. STRUV.
exerc. 23. th. 50. 63. § 64. Etsi (2.) in Instrumento Ces-
sionis expressum est, quod cessio ex causa lucrativa facta
sit, nihil praeterea desideratur, sed cessio subsistit, etsi per
nudam saltem confessionem cedentis de ea constet l. per di-
versas vers. si autem per donationem C. mand. MENOCH. lib.
3. pres. 130. n. 35. Ex onerosa vero causa subsequente
cessionem sola cedentis confessio validam non reddit, sed
insuper requiritur, ut cessionarius probet, tantum revera
solutum vel datum esse, quantum debitum cessum valet,
vid. FRANZK. lib. 1. Res. 8. n. 19. § seqq. Plura exempla
de diversitate tituli onerosi & lucrativi, item de titulis ex
negotio gesto inter vivos & ex ultima voluntate ortis lege-
ris in Dissert. Fratris inaug. de Titulo. thes. 23. § 40.

II.

Cumque ante paucos annos circa difficilem hanc,
clatèque diffusam materiam occupatae fuerint duae
dissertationes inaugurales, quarum altera de titulo in
genere, altera vero de ejusdem probatione suam ha-
buit inscriptionem: Ita labor hic ansam nobis praebuit,
ad id, quod de utili hac materia reliquum esse,
videtur, applicare manus. Quem in finem libros
pariter Juris atque ejusdem Interpretes evolvimus,
& quae in istis de hac Juris parte sparsim hinc inde
invenire licuit, collegimus, collecta in certum &
pro materiae qualitate possibilem ordinem redege-
mus, atque ita pro ingenii viribus praesentem for-
mavimus Discursum.

III.

ANtequam autem rem ipsam aggrediamur, necessarium esse videtur, generalia nonnulla quamvis paucissima, de principiis Præsumptionis præmittere, quæ sequens exhibebit explicatio. (a)

(a) Notum est, quod vulgò duæ probationis species constitui soleant, quarum altera artificialis, altera inartificialis vocatur. Originem sumpsit hæc divisio ex doctrina ARISTOTELIS, qui lib. 1. Rhet. 2. argumenta, per quæ fidem facimus & rem confirmamus, in duo genera distinxit, artificialia nimirum & inartificialia. Per priora expeditur probatio artificiosa, per posteriora verò, qualia sunt instrumenta & testes, inartificiosa. Porro argumenta artificialia iterum sunt vel necessaria, ut ex principiis Physicis vel Mathematicis desumpta & factò applicata. Vid. HAHN. ad Wesenb. tit. de prob. § præf. n. 2. ibique alleg. ZACH. in quest. Medicoleg. vel probabilia seu contingentia, ex quibus oritur præsumptio, quæ quidem à probatione strictè sic dicta distinguitur, quin tamen & species probationis vocari possit, negari nequit: Sicuti enim in probatione strictè accepta fides ostenditur per rationes ex locis apodicticis depromptas, ita in præsumptione fidem facimus per rationes ex locis Dialecticis, HAHN. cit. loc. n. 14. Non audeamus tamen statuere, quod omnes species præsumptionis ad probationes pertineant, quam maximè enim falleremur, manifestum fieret ex contemplatione qualitatis præsumptionis illius, quæ ex arbitrio hominis vel iudicis resultat, ut quæ ne minimum quidem de natura probationis participat, sed pura pura præsumptio est. Præterea nec tutò asserere licet, speciem istam, quæ vulgò præsumptio Juris & de Jure appellari consuevit, reverà esse præsumptionem, siquidem hæc argumentis magis necessariis (non quidem simpliciter & per se talibus, sed quæ lex ex certis causis pro necessariis habet,) quam probabilibus nititur, eaquæ propter nomen veræ probationis meretur. Vide omninò HAHN, d. loc. BACHOV. ad Treutler. Vol. 2. Disp. 4. th. 10. lit. C. ubi exempla reperies.

IV. His

IV.

His ita præmissis jam facili negotio descriptio quædam præsumptionis tituli formari potest hoc modo: Præsumptio TITULI nihil aliud est, quàm ratiocinatio, seu ostensio fidei artificialis de justa acquisiti dominii, vel possessionis (a) causa, per argumenta probabilia ex lapsu certi & à lege determinati temporis (b) desumpta;

(a) Per vocabulum possessionis hic non intelligimus nudam quandam detentionem, nec etiam possessionem, quam vulgari loquendi modo naturalem vocant, quâ quis rem detinet animo & affectione sibi habendi, ast non jure dominii, sed propter aliud jus in re, puta ob servitutem vel pignus l. 12. pr. de A. P. l. 1. §. 9. de vi & vi armat. l. 22. §. 1. de nox. act. l. 13. §. 1. de publ. in rem act. Sed solam possessionem civilem, seu juridicam, quæ ita qualificata est, ut sit jus, quo quis animo & affectione dominii rem detinet, d. l. 13. §. 1. & d. l. 22. §. 1. Inter dominium enim & possessionem jus tantummodo interest, non affectio. Ac licet quidem possessio cum proprietate seu Dominio ratione identitatis & substantiæ nihil commune habeat l. 12. §. 1. de acquir. poss. attamen in multis partibus inter hæc duo jura ratione generis & accidentium intercedere communionem seu connexionem ex CORAS. ad d. l. 12. docet HAHN. in dissert. de Jur. rer. 1. cap. 6. concl. 60. n. 7. Ratio autem cur dominium & possessionem disjunctivè posuimus in hac descriptione hæc est: Quod etsi nonnunquam aliquis habilem ad translationem dominii habeat titulum, per illum tamen non semper statim acquirat Dominium: Nam si tradens non est dominus, tunc nec dominium transit in accipientem, sed is saltem hoc casu possessionem civilem & usucapiendi conditionem nanciscitur l. 74. de contrab. empt. BACHOV. de act. disp. 3. th. 6. ubi perpetuam Juris regulam esse dicit, quod unus idemque actus, qui transfert dominium, quando res propria est, transferat Jus usucapiendi, ubi

ubi res aliena bona fide accepta est. Præterea & hoc notandum, quod per possessionem hoc loco non possessio tantum rerum corporalium, sed etiam rerum incorporalium seu jurium, intelligatur, ut quæ vulgò injure quasi possideri dicuntur *l. 23. §. 2. ex quib. caus. maj. l. 10. si serv. vind. l. 3. §. 17. de vi & de vi armat.* HAHN. *d. concl. 60. n. 8.*

(b) Non enim ex lapsu cujusvis temporis tituli præsumptio inducitur, sed legibus determinatum oportet esse tempus, quod ejusmodi effectum sortiri vult. Gaudent autem præcipuè hoc effectum tempora illa, quæ præscriptionibus rerum jura præfixerunt, & pro horum diversitate modo fortior, modo infirmior præsumptio tituli insurgit: prout hæc omnia in sequentibus manifesta reddentur.

Quoniam itaque, uti dictum, nullum temporis spacium ad inducendam tituli præsumptionem, probabile præbet argumentum, nisi quod à lege specialiter adprobatum ac definitum sit, (a) Idcirco necessarium est, ut videamus, quæ & quotnam sint ejusmodi tempora legalia, seu legitima, & qualisnam ex unoquoque titulo oriatur præsumptio.

(a) Tempus enim, ut ait HUG. GROT. *de Jure b. & p. lib. 2. c. 4. n. 1.* ex suapte natura vim nullam efficacem habet: nihil enim fit à tempore, quanquam nihil non fit in tempore. Hinc dicitur in *l. 29. de R. J.* Quod id, quod ab initio vitiosum est, non possit tractu temporis convalescere. Si ergo tempus aliquid parere, aut producere vult, à lege, vel (quæ huic similis *l. 32. ff. de LL.*) consuetudine, vel contrahentium conventionem ut definitum sit, requiritur. Et sicut tota præscriptionis vis à definito tempore dependet, unde etiam suffragium temporis dicitur in *l. 24. ff. de don. inter vir. & ux.* Ita præsumptiones tituli à solo tempore, quod legibus adprobatum est, validitatem & robur suum nanciscuntur.

VI. Dividi

VI.

Dividi autem posse videntur tempora legitima, sive ad præsumendum titulum habilia, quod quædam finita dicantur, quædam infinita. (a)

(a) Finita tempora vocamus, quæ habent fines i. e. circumstantiam certi temporis, puta 10. vel 20. vel 30. annorum. Infinita verò, quorum terminus á quo non adparet, seu quæ carent finibus ac circumstantia certi temporis. Quo pacto & Cujac. tempora distinguit, elegantissimo libro, quem de diversis temporum præscriptionibus & terminis *περὶ γνησίων* vocat, ac tempus finitum rursus secundum quinque articulos illustrat, momentum, horam, diem, mensem & annum. Tempus verò infinitum solebant exprimere Ebræi per decimam generationem, observante Jo. SELDANO, *tr. de jur. nat. & Gent. juxta discipl. Ebraeor. l. 5. c. 14. p. m. 648.* Conf. de eod. ARM. CRAVETT. *tract. de Antiq. temp. p. 4. c. 3. n. 1. seqq.*

VII.

Tempus infinitum iterum est in duplici differentia: aliud enim absolutè & simpliciter est infinitum, aliud autem relativè & secundum quid est tale. Prioris generis est tempus immemoriale (a) in specie sic dictum, posterioris verò est tempus centenarium.

(b)

(a) Id est, cujus initii memoria non extat in contrarium, vel de cujus principio nemo possit memorari. Hoc tempus omnium fortissimum est, & speciales præ reliquis habet effectus, quos infra concl. 9. videre licebit.

(b) Etsi tempus centenarium finitis temporibus annumerari debere videtur, propterea, quod certo ac determinato temporis spacio, videlicet centum annorum circumscriptum sit; quia tamen communis humanæ vitæ terminus habentur anni centum per *l. 56. de Usufr. l. 23. C. de SS. Eccles.* Id-

B

circò



circò centenarium hocce tempus quasi infinitum est moraliter seu civiliter. *Vid. HAHN. ad Wes. tit. de usurp. & usuc. n. 7. verb. aut tanto temporis. STRUV. Exerc. 43. th. 23.*

VIII.

EXinde tamen cum nonnullis Interpretibus statuendum non est, quod immemoriale tempus unum idemque sit cum tempore centenario, vel centum annorum spacio, vel etiam eò minori definiri debeat. (a) Nam quin inter duo hæc temporum genera cum in aliis, tum præcipuè circa inducendam tituli præsumptionem magna intercedat differentia, (b) nullum est dubium.

(a) Communem opinionem centenarium tempus in definiendo tempore immemoriali observare solere tradit *MASCARD. de prob. concl. 429. n. 52. & concl. 1214. n. 53.* Quam sententiam quoque defendunt *GUID. PAP. Quæst. 575. MYNSING. conf. 13. n. 21. & multi alii, quos longo agmine citat CASPAR. KLOCK de Contrib. cap. 10. n. 292. & seqq. ubi etiam n. 295. illos Dd. adducit, qui infra tempus centum annorum, immemoriale tempus definiunt.*

(b) Nam si unum idemque esset tempus immemoriale & centenarium, una quoque præscriptionis species sit, necesse esset, præscriptio immemorialis & centenaria, quas tamen ab invicem reverà distingui nemo negabit; Præterea nec nominis ratio patitur, ut tempus immemoriale centum annorum curriculo concludatur: Immemoriale enim dicitur, cujus memoria non est in contrarium. At fieri potest, ut ejus, cujus non est memoria in contrarium à centum annis, sit memoria in centum & decem, vel viginti &c. *MATH. STEPH. de Jurisd. Imper. Rom. lib. 2. part. 1. cap. 7. n. 155.* Quin & centenarium tempus probari potest ex depositione testium de lapsu centum annorum, qualis tamen depositio ad probandum tempus immemoriale minimè sufficit, sed necessario requiritur, ut testes ultra asserant, se vidisse semper
ita

19
1
B
ita fieri, & nunquam contrarium actum, nec à majoribus
& senioribus aliter audivisse & vidisse, atque hujus rei pub-
licam esse famam & opinionem apud eos, qui rei cognitio-
nem habent. l. 28. ff. de prob. vid. CARPZ. in Jurisp. forens.
p. 1. const. 16. def. 74. & p. 2. const. 1. def. 7. ibique allegat.
STEPH. d. loc. n. 158. SCHNEIDW. in tit. Inst. de usuc. rubr.
de spec. præsc. n. 37. KLOCK de cap. 20. n. 242. MYNSING.
Cent. 1. Observ. 30. GAIL. obs. 6. n. 8. vid. DID. COVARR. in
C. possessor. p. 2. §. 3. n. 7. & seqq. Patet ergo exindè im-
memoriale tempus à centenario quàm maximè differre, nec
alterum cum altero confundi debere. Quam differentiam
adhuc haud parùm quoque confirmat diversitas effectus, qui
ex duobus hisce temporum generibus resultat. Licet e-
nim ex lapsu utriusque temporis titulus facillimè præsuma-
tur, ea tamen præsumptio, quæ ex centenario tempore o-
ratur, tam efficax non est, ut contrariam probationem ex-
cludere valeat, sed si de vitioso titulo aliqua saltem ratione
adparet, ejusmodi præsumptio iterum corrui & evanescit;
Immemoriale autem tempus longe majorem atq; vehemen-
torem inducit tituli præsumptionem in tantum, ut contra
illam nulla ferè probatio ad oppositum admittatur. Uti hoc
infra ex concl. 11. clariùs elucescet.

IX.

Quod itaq; in specie attinet tempus immemoriale
valde privilegiatum illud est in Jure, & singulari-
bus præ ceteris gaudet effectibus. (a)

(a) Sic non solum per lapsum tanti temporis, cujus origo me-
moriæ hominum excessit, id, quod ab initio præsumi po-
terat vitiosum, ita convalidatur, ut de ejus latenti vitio am-
plius quærendum non sit. MENOCH. de præf. lib. 3. præf.
131. Et quæ ante hominum memoriæ gesta sunt, in casu
licito gesta esse præsumuntur, etsi aliàs tales actus regulari-
ter non sint liciti KLOCK. Vol. 3. Conf. 182. n. 17. In ejusmo-
di enim temporis observantia sive consuetudine de qualitate
actuum non est quærendum d. conf. n. 58. STRUV. Exerc.

43. *th.* 23. Sed & de tempore immemoriali dicitur, quod sit titulus legalis, quem lex ipsa confert ex lapsu tanti temporis, cessante titulo hominis. CRAVETT. *de Antiq. temp.* p. 4. *vers. materia n.* 3. Imò quod sit titulus optimus maximus par principis concessioni ac privilegio, *l. hoc Jure §. ductus aquæ. ubi Gloss. Angel. & Dd. ff. de aq. quot. & æstiv. cap. super quibusdam 26. §. præterea X. de V. S. c. 1. de præsc. in 6to.* BALB. *tract. præscript. 2. part. 3. partis princ. 6. n.* 12. & quod etiam antestet privilegio, seu jus privilegio firmiter & potentius tribuat, SIXTIN. *de Regal. l. 1. c. 5. num.* 141. KLOCK. *vol. 1. conf. 31. n.* 81. Item quod talis possessio antiqua præsumatur habere justitiam permanentem & valeat, instar constitutionis Imperialis, legis vel pacti, habeaturque pro veritate indubitabili, MASCARD. *de prob. vol. 3. conclus. 1371. n.* 20. MENOCH. *de præf. lib. 3. præf. 131. n.* 44. Nec non quod tantum possit, quantum Imperator cum causa, & quod tollat omnem Juris resistantiam, i. e. ea, quibus jus resistit, KLOCK. *de contrib. cap. 16. Sect. 2. n.* 112. CARPZ. *lib. 1. Resp. 38. v.* 9. Proinde optimè defendi potest eorum opinio, qui statuunt, ut si per legem vel statutum aliquod præscriptio prohibita sit, immemorialis tamen præscriptio nunquam censeatur prohibita & exclusa, etiamsi legis vel statuti verba prohibitoria generalissima sint, CRAVETT. *de anti. temp. p. 4. n.* 43. TIRAQUEL. *de Retract. conv. §. 1. gloss. n.* 25. ANTON. FAB. *in Cod. lib. 7. tit. 13. def. 5. n.* 1. & 2. & sic etiam contra ordinationem provinciam curere temporis immemorialis præscriptionem rectè statuit, CARPZ. *lib. 1. Respons. 38.* Vid. latè de vi & effectibus hujus temporis JOHANN. FR. BALTHAS. *var. res. tit. 9. res. 1. n.* 20. & seqq. KNICH. *ad Jus Saxon. verb. Ducum Saxonie c. 1. n.* 68. & seqq. MASCARD. *d. concl. n.* 16. & seqq.

X.

Hinc quoque ex tempore immemoriali oritur præsumptio tituli omnium prægnantissima, quæ plenam undique tribuit securitatem possessori, ut ut ipsi

19
1
7
ipfi alia juris vel facti præsumptio resistat (a) etiam quoad regalia & principis reservata, (b) nec non res alias, quarum aliàs aut alienatio in jure est prohibita, (c) vel acquisitio, aut præscriptio sine titulo judicatur illicita, (d) aut possessor ad possidendum planè est inhabilis. (e)

(a) Immemoriale namque tempus secundum dicta præcedentis concl. omnem tollit juris resistantiam, adeò ut ne quicquam oneris probandi remaneat in possessore tanti temporis lapsu munito. Quod tamen secùs est in cæteris temporum curriculis, ubi si alia quædam juris præsumptio refragatur possidenti, præsumptio tituli rursus eliditur, & ejus probatio requiritur.

(b) Sive majora, sive minora sint regalia, nihil interest, in utriusq; enim generis speciebus tempus memoriã hominũ excedens validam præsumptionem tituli, id est, factæ concessionis à Superiore seu Principe inducit. Hinc si quidam inferior per tanti temporis spacium, cujus initium investigationem non admittit, jura venandi, monetandi, imponendi vectigalia, confiscandi, collectandi aliaque Principi in signum specialis præeminentiæ reservata, seu à Superioritate territoriali dependentia quietè exercuerit, pro eo firmissima militat tituli præsumptio, videlicet quod legitimam ejusmodi regalium à Superiore adeptus fuerit concessionem vel investituram, atque huic præsumptioni unicè inniti potest, & edocto solum tempore immemoriali, possessionem suam productione tituli justificare non tenetur, *d. cap. 26. X. de V. S. KLOCK. d. tract. c. 3. n. 131. & cap. 20. n. 233.* Idque verum esse putamus, sive agatur in petitorio, sive in possessorio Judicio. *Posth. de Manut. obs. 44. num. 34.* Quam sententiam etiam adprobare videtur *Recess. Imp. de Anno 1548. §. Wann auch ein ausgezogener/ & §. Wo aber innerhalb Menschen gedenken.* Nec aliter in foro Saxonico observari colligi potest ex iis, quæ de præscriptione immemoriali tradit *CARPZ. cum allegat. ibidem p. 2. const. 3. def. 24. & 25.* Sed quid dicendum de iis regalibus,
B 3

libus, quæ alias vocantur personalia, imò personalissima, ut
quæ intrinsecè naturam Majestatis constituunt, & ossibus
Principis, quæ talis, ita adhærent, ut avelli ab eo nequeant,
de quibus leges SIXTIN. *de Regal. lib. 1. c. 2. n. 2. 3.* An
ne & de his idem ferendum erit judicium? Sanè Majesta-
tem quasi lædere putaremus, qui talia asserere vellet.
Proinde audacter dicimus, ejusmodi regalia, uti ab omni
prorsus præscriptionis materia præsertim in persona subdi-
ti sunt alienissima. *Vid. HUGON. GROTIUS. de Jur. b. & p. lib.*
2. c. 4. n. 12. Ibiq. DO. CASP. ZIEGLER. Ita & nunquam
tituli præsumptionem admittere. Monendum verò hic est,
quod jus concedendi nundinas universales & si quidem
pertineat ad reservata Cæsaris singularia, *vid. Receß. Imp.*
Ratisb. de Anno 1576. §. Dadurch dann. THEOD. REINCK.
de R. S. & E. lib. 1. cl. 5. c. 6. n. 156. ejus tamen qualita-
tis non sit, in quo lapsus temporis immemoralis tituli effe-
ctum operari non possit, sed siquidem inferior per tanti
temporis cursum jus hoc nundinarum solemnium obtine-
rit, pro eo firmiter præsumitur, quod ab initio specialem
Imperatoris concessionem vel investituram impetraverit.
Soli enim immemoralis temporis cursum ad acquirenda
ejusmodi jura absque Cæsarea speciali concessione tanquam
titulo sufficere fert communis Dd. & in Camera Imperiali
recepta sententia, de qua testatur ROSENTHAL. *de feud. c. 5.*
n. 45. MYNSING. lib. 5. obs. 29. Cæterum quod in specie
attinet Jus collectandi, circa illud duæ adhuc decidendæ oc-
currunt quæstiones notatu dignissimæ. Prima est: An
quemadmodum possessio vel quasi juris collectandi per im-
memorabile tempus continuata veri tituli præsumptionem
operatur, ita quoque quoad libertatem & exemptionem à
præstatione collectarum seu tributorum lapsus tanti tempo-
ris similem præsumptionem inducat? In collectis quidem
specialibus seu minùs privilegiatis, quales vocantur collectæ
circulares, nec non provinciales *die Land- und Kreis Steu-
ern*/ res parum dubii habere videtur, utpote in quibus cessa-
tionem à solutione per quadraginta modò annos factam ad
præsumendum immunitatis titulum sufficere statuit KLOCK.
de Contrib.

19
A
57

de Contrib. cap. 16. 2. n. 32. & seqq. At universales seu Imperiales quod spectat collectas die Reichs- und Türken Steuer / de iis major dubitatio existit. Decisio exinde dependet: Utrum ejusmodi collectæ præscriptioni subjaceant? Nam quæcunque res præscriptionem refugiunt, in iis nec titulum ex diuturnitate temporis præsumi posse certum est, etsi per multa annorum millia continuetur possessio. Quod hic in genere notandum. Pro negativâ sententiâ facit (1.) *l. competit. 6. C. de præsc. 30. vel 40. annorum*, ubi omnem præscriptionem adversus publicarum functionum solutionem prohibet Imperator. Ratio est, quia tributa & collectæ Imperatori debitæ præstantur ipsi in signum universalis domini, quæ autem hoc modo præstantur, in iis ne immemorialis quidem temporis cursum ad inducendam præscriptionem validum esse communis Dd. est opinio *vid. ANTONELL. de temp. leg. lib. 2. cap. 62. n. 53.* (2.) Ex multis comitorum Decretis liquido constat, quod nemo quamvis privilegiatus ab ordinariis contributionibus exemptus esse debeat, adeo ut nec (3.) ipse Imperator quoad bona & ditiones suas Patrimoniales & quas ut privatus possidet, immunitatem ab hoc onere vel sibi ipsi arrogare, vel (4.) eandem alteri in præjudicium Reipubl. concedere possit. *Videatur imprimis Recept. Imp. de Anno 1495. tit. Von dem gemeinen Pfennig / in pr. Item de Anno 1512. §. 6. & 10.* Verùm his aliisve rationibus non obstantibus in affirmantium castra transire non veremur, cum prælaudato magni nominis JACO CASP. KLOCK. *d. cap. 16. sect. 2. n. 100. & seqq.* Ubi contrariam opinionem multis iisque satis prægnantibus argumentis propugnat, ac simul ad supra adductas rationes contrarias solidè respondet, ad quem brevitatis ergò, & ne discursus hic ultra destinatos excrescat limites, nos remittimus. Altera quæstio in eo consistit: an prætendens exemptionem à collectis seu contributionibus ex lapsu temporis immemorialis etiam lite pendente contra superiorem in possessione immunitatis absque ulla tituli probatione debeat manuteneri? Dubium movet, quòd jus commune reluctetur ejusmodi possessioni, reputando eam injustam & vitio-

vitiōsam, ideoque possessio hæc titulo justificanda videtur. Vehemens enim juris resistentia inter alia potissimum & hoc operatur, ut possessor subjiciatur probationi, & necesse habeat docere de titulo suæ possessionis, quam præten- dit habere contra juris præsumptionem, *c. cum persona. de Privileg. in 6. HARTM. PISTOR. p. 2. lib. 2. quæst. 46. n. 6. & seqq.* Sed quia, uti supra dictum, tempus, de cujus origine per memoriam hominum non constat, omnem tollat juris resistentiam, quamvis vehementissima sit, idcirco quæstio- nem hanc affirmativè decidendam esse nulli dubitamus. Vid. *POSTH. de Obs. 44. n. 34. CARDIN. TUSCH. pract. concl. lit. P. concl. 441. n. 16. KLOCK. de tract. cap. ult. n. 264. & 267.* Licet autem hæc ita obtineant in præscriptione (vel consuetudine *vid. MEV. p. 3. decis. 204. n. 8.*) immemoria- li, ut per eam solam si probetur, prætendens se exemptum à tributis & oneribus publicis tamdiu in quasi possessione libertatis manuteneri debeat, donec aliud in petitorio de- cernatur. Secus tamen se res habet, si eximendus se fundat in minori quadam præscriptionis specie vel etiam si ad suam exemptionem allegat privilegium; utroque e- nim casu, manutentia seu possessionis defensio immuni- tatis quæstione pendente aliter obtineri non potest, nisi vel casu priori possessor productione tituli justificet posses- sionem suam, vel in posteriori in authentica forma exhibe- at privilegium. Efficat namque fundata intentio domini territorii, ut is non obstante immunitatis præensione contra pseudo-exemptos jurisdictionem in exigendis contributio- nibus exercere possit, donec exemptionem legitimè dedu- cant, etiamsi sint in quasi possessione illius. Vid. elegan- ter hanc rem exponentem *KLOCK. d. cap. 20. n. 252. & seqq. usq; ad n. 272. Adde MEVIUM p. 3. d. dec. 204. & 205. p. 4. dec. 210.*

(c) Ejusmodi res sunt Fideicommissum & Legatum sub condi- tione relicta: Hæc enim juxta dispositionem *legis ult. §. 3. & auth. seq. C. comm. de legat.* ab herede alienari non pos- sunt, et si alienantur, revocatio à quovis possessore locum habet, nullâ aliâ obstante præscriptione, quàm quæ ex imem- moriali

19
A
67

moriali tempore obtenta est, STRUV. Exerc. 43. th. 24. ut
quæ sola tantæ est efficaciam, ut emptorem, vel quemvis pos-
sessorem alium in justa rerum restitutioni subjectarum posses-
sione constituere possit, militante nimirum pro eo semper
justi tituli præsumptione, hoc est, quod alienatio fideicom-
missi, vel ex necessitatis, vel alia justa causa sit. Vid. PHIL.
KNIPSCHIT. de fideicommiss. famil. nobil. cap. 6. n. 82. seqq. &
cap. 16. n. 86. seqq. STRUV. Exerc. 36. th. 41. Huc quoque
referri possunt res dotales præsertim immobiles, quarum a-
lienatio in jure æquè interdicta est, per l. 16. ff. de fund. dot. &
quæ ex parte mulierum omnia ferè refugiant præscriptio-
num genera, sive ea per 10. sive per 20. annorum curricu-
la, sive per 30. vel 40. annorum metas, sive ex alio quo-
cunque tempore majore, vel minore sint introducta, text.
expr. in l. 30. C. de jur. dot. Solus itaque remanet imme-
morialis temporis cursus, qui ad præscribendas res dotales
& sic præsumendum in possessore justum titulum contra fœ-
minas unicè potens judicatur. STRUV. d. Exerc. 43. th. 24.
(d) In hac classe præter supra memorata regalia collocari pos-
sunt (I.) Jus occupandi bona vacantia, quod quidem si na-
turale gentium jus respicimus, ad corpus seu societatem per-
tinere haud absurdè statui potest, ut defuncti socii bona isti
cedant, per ea, quæ habentur in l. 1. § tot. tit. C. de hered.
decur. præsertim verò quæ in l. fin. d. tit. continetur ratio
istud indicat. Ad Juris Romani sancita si intueamur, adem-
ptum hoc Jus est societati, ut ut civili, & constitutum, ut fi-
sco bona vacantia cederent l. 1. C. de bon. vacant. Unde
translato ad Germanos Imperio Romano, idem Jus transit,
species facta regalium, atque ita solis Principibus aliisque
statibus Imperii in suis territoriis vigore superioritatis terri-
torialis ex communi Jctorum Germaniæ sententia compe-
tens, ipsisque fundatam intentionem undique tribuens. Ex
quo cum Civitates Municipales instar alterius privati omni-
um jurium regaliorum sint incapaces, ita & ex se seu com-
munitatis jure jus bonorum vacantium sibi arrogare neque-
unt, expressè id prohibente d. l. 1. c. de bon. vacant. vid. post
alios allegatos COTHM. resp. 55. Vol. 2. n. 24. Hinc si civi-
tas

tas quædam Superiorem recognoscens jus bonorum vacan-
tium sibi quæsitum, vel competens asserat, ob resistantiam
juris communis allegationem titulo probare tenetur, quod
fieri potest, si concessio, vel privilegium Superiorum do-
ceatur, *MEV. p. 3. decis. 101. n. 9.* Nec relevat hoc casu
nuda possessio, ut quæ sola absque titulo quodam justifico
possessorem adversus fiscum contradictorem non facit legiti-
mum, de qua re eleganter *COTHM. d. resp. 55. n. 74. & seqq.*
Quod si tamen civitatem quandam ex antiquo & immemo-
riali tempore vel consuetudine bona vacantia occupandi jus
obtinuisse constiterit, tantum abest, ut ab ista tituli quædam
probatio exigatur, ut ne nudâ quidem allegatione opus sit,
cum civitates etiam municipales ex longo usu tam quoad bo-
na vacantia, quàm alia fisci jura firmam ac validam nanci-
scentur legitimæ acquisitionis causæ præsumptionem, usque
adeò, ut non saltem in possessorio, sed etiam in petitorio à
justificatione tituli, adversus quemcunque turbatorem, vel
actorem tutæ esse queant. Cæterum quæritur hîc, an con-
cesso civitati Principi subditæ mero & mixto imperio, jus
bonorum vacantium simul concessum esse præsumatur? Non
paucis quidem surrepsit hæc opinio, jus istud sequelam es-
se meri & mixti imperii; Ast erroneam esse hanc sententi-
am patet ex eo, quod jurisdictio & imperium merum nihil
comune habeant cum regalibus, nec ab illis ad hoc validum
duci possit argumentum; *MATTH. STEPHAN. de Jurisd. p. 1.
cap. 2. n. 17. Vid. COTHM. d. Resp. 55. n. 42.* limitatur ta-
men hoc assertum in casu, ubi lex vel mos provinciæ anti-
quus meri & mixti imperii partem vel effectum jus bonorum
vacantium effecit. Sic in terris Saxonix civitati vel judici,
qui merum obtinet imperium, sive qui supremam vel altam
jurisdictionem habet, bona vacantia deferuntur, ex quorum
lucro patibula, numellas, compedes & id genus alia ad com-
pescendos facinorosos necessaria, exstruere tenetur *testibus
CARPZ. lib. 6. Resp. 42. & p. 2. const. 14. def. 61. WESENB.
in parat. ff. de Jur. fisci. n. 4. HAHN. ad Wesenb. tit. in quib.
caus. pign. vel hypoth. n. 5. verb. unde arguunt.* Ad hunc
locum pertinent (II.) Beneficia Ecclesiastica, quorum acqui-
sitio-

respe&tu decimarum spiritualium in Laico possessionem etiam immemoriam ad obtinendum mandatum de manutendo non sufficere statuit, sed juxta opinionem Rotæ vel privilegium, vel recognitio ab Ecclesia, vel aliud æquivalens ut concurrat, requirit.

XI.

EX his ergò satis superque constat, quod præsumptio hæc tituli ex immemoriali tempore nata præsumptionibus juris & de jure meritò annumeretur, (a) omnemque propterea excludat ferè probationem in contrarium (b) ac ne nudam quidem tituli allegationem desideret, (c) impediatque adpellationem, (d) nec tolli possit juramento contrario ejus, cui adversatur. (e)

(a) KLOCK in *Cons. passim.* FRANZK. lib. 3. var. res. p. 129. MENOCH. de *presumpt.* lib. 3. pres. 131. n. 50. & *Dd. eomunit.*

(b) Dicitur fuit supra concl. 3. præsumptiones Juris & de Jure pro fundamento suo argumenta potius necessaria, quam probabilia habere, unde facile colligi potest, quod ejusmodi præsumpta seu illata in LL. adeò pro vero habeantur, ut probatio in contrarium vix ac ne vix quidem admittatur. MENOCH. l. pres. 60. Quoniam verò omnis præsumptio licet evidentissima, tamen vincitur à veritate, ita & hæc ex immemoriali tempore desumpta tituli præsumptio iterum elidi & infringi potest, si vel ex confessione partis, quæ in ea se fundat, vel aliàs ex notorio aut rei evidentia constet, quod vel titulus vitiosus & injustus fuerit, vel quod res, de cujus possessione quæritur, omnem planè respuat præscriptionem, v. g. si sit res meræ facultatis, aut jus compascui, vel redimendi rem cum pacto de retrovendendo venditam, vid. RICHT. p. 1. cons. 26. n. 25. KLOCK. vol. 2. c. 98. n. 7. & seqq. CARPZ. p. 2. c. 15. d. 14. STRUV. Exerc. 43. tb. 23. Apud omnes enim tam sacræ Theologiæ, quam Juris Pontificii & Cæsarei Interpretes in confesso est.

19
11
17

so est, possessionem etiam inmemorialem nihil efficere, si de initio possessionis vitioso ex titulo nullo, injusto, aut inhabili manifeste appareat. MENOCH. 3. *pres.* 131. n. 49. *vid.* ERNEST. COTHM. *lib.* 4. *Acad. respons.* 30. n. 30. RICHT. *conf.* 36. n. 6. *Et seqq. ubi plures allegati.* Unde rectè cum TERTULL. dicit WILH. ANT. de FREUNDEB. *in tract. de Res. morat. concl.* 58. n. 18. *sub lit. H.* Rationi & veritati nemo præscribere potest, non spacium temporum, non patrocinium personarum, non privilegium regionum, quin potius, si veritas elucescat, omnem & præscriptionem & possessionem & consuetudinem evanescere velut umbram præsertim de Jure Pontificio certum est. Quo etiam respicit laudabile illud veterum quorundam scriptum & foro Ecclesiastico & seculari adplicandum:

Tempus longævum te non excusat in ævum.

Cum malè sis usus, quia non præscribit abusus.

(c) Inter tituli probationem & ejusdem allegationem quid interfit, ex nuda saltem horum vocabulorum vi & notatione haud difficulter judicare licet; quamvis non rarò hæ voces à Dd. confundi & pro Synonymis usurpari soleant. Nam cui titulum probare incumbit, ille non allegare tantum debet, quod v. g. rem, de qua controvertitur, emerit, vel dono acceperit, sed etiam hujus allegationis veritatem testibus, vel instrumentis, vel alio modo manifestam reddere tenetur. At à quo tituli allegatio requiritur, is in nudis solummodo verbis acquiescere potest, nec quicquam ulterius probare necesse habet, ut ut allegatio à veritate remota sit. Sic si quis per tempus, de cujus principio memorari nemo potest, rem quandam, ratione cujus titulus aliàs doceri debet, possederit, iste quidem sub clypeo præsumptionis ab omni probationis periculo tutus est, sed quæritur, utrumne saltem hoc casu allegatio tituli necessaria sit? Pro affirmativa pugnat nota illa com̄unis Dd. theorica: Omnes præsumptiones Juris licet relevent ab onere probandi, non tamen relevare ab onere allegandi, de qua legi potest ALEX. *in conf.* 16. *vol.* 5. *in caus.* *Et lite f.* 17. n. 4. Quod com̄une dogma uti generaliter sonat, ita & de omnibus

C 3

præ-

præsumptionis speciebus interpretandum esse videtur. Verum enim verò etsi hoc verum sit de præsumptionibus, quæ Juris tantum sunt, ad præsumptiones certè quæ Juris & de Jure vocantur, ut quarum juxta explicationem concl. 3. singularis planè est natura, adplicari nequit; Quapropter hæc ratio ita ponderosa non est, quo minus crebriori Interpretum calculo confirmata negativa comprobatione hic prævaleat, CARPZ. lib. 1. Resp. 38. n. 7. BALB. tract. præscript. 2. part. 3. part. Princ. quæst. 6. n. 17. § 18. COVARR. in cap. Possessor. p. 2. §. 7. n. 8. Add. MASCARD. d. tract. de prob. vol. 3. concl. 1371. n. 28. ubi etiam n. 30. § seqq. limitationes quasdam invenies. MENOCH. 3. præf. 131. ubi n. 47. quasdam exceptiones subnectit.

(d) Omnibus namque præsumptionibus Juris & de Jure hic effectus tribuitur, ut ex parte ejus, cui repugnant, non admittatur adpellatio tanquam confessi & convicti, qui nunquam remedio adpellationis juvatur. l. 2. C. quorum adpell. non recip. MENOCH. lib. 1. quæst. 76. ibiq; alleg. EVERCH. in Top. leg. loc. à veris. n. 19.

(e) Est iterum hic effectus cæteris præsumptionibus juris & de jure com̄unis. Habetur enim præsumptio J. & de J. pro veritate, & fide manifesta, veritas autem respuit juramentum contrarium, ut quod solummodò in rebus dubiis locum invenit. MENOCH. d. lib. 1. quæst. 71. n. 1. § 2.

XII.

PRæterea & is, qui ex lapsu temporis immemorialis tituli veri, eumque semper ferè comitantis bonæ fidei (a) præsumptionem Juris & de Jure pro se nactus est, non in foro tantum exteriori tutus existit, sed etiam in foro interiori seu conscientia eandem securitatem sibi polliceri, & rem retinere potest (b) ita ut consequenter contra hanc præsumptionem denunciatio Evangelica fieri nequeat, (c) nisi vel per Confessionem ejus, pro quo stat hæc præsumptio, vel

19
11 19
vel aliter notorium sit, possessionem vel præscriptionem immemoriam sicq; præsumptionem hanc Juris & de Jure ob tituli vitiositatem, vel supervenientem malam fidem esse injustam. (d)

(a) Titulus enim verus & bona fides tantam habent inter se connexionem & affinitatem, ut quasi se invicem mutuò ponant & destruant, deque uno ad alterum validè inferri possit: Nam quicumque possessor habet verum & à lege approbatum titulum, in illo & bona fides adesse præsumitur: è contrario, in quo possessore deficit titulus verus & adest titulus à lege reprobatus, eo in casu & bona fides deficere & mala fides adesse præsumitur, MENOCH. *de præsumpt. lib. 3. præf. 130. n. 1. §. n. 33.* Interim tamen unicuique manet sua natura distincta, potest enim quis possidere ex justo titulo, qui nihilominus bonâ fide careat, v. c. qui sciens à non domino emit. *l. 2. ff. pro Empt.* Et contra, potest quis bona fide possidere, qui tamen nullum habeat titulum, ut qui putat causam subesse, quæ non est, errans scil. in facto vel jure. *l. 11. d. t. l. 25. §. 6. de heredit. pet. DONNELL. 5. Comment. 14. n. 70.*

(b) Præsupposito nimirum pro constante, quod is, pro quo stat hæc præsumptio, certò sciat vel credat veritatem esse pro se i. e. ex justo titulo & b. f. processisse præscriptionem immemoriam & jure se fultum eâ præsumptione Juris & de Jure. Nam si possessor scit vel etiam verè credit, quod veritas non sit pro se, & quod præscriptio immemorialis ex vitioso titulo vel m. f. suum cœperit initium vel progressum, etiam si in judicio non conveniatur, vel etiam conventus ab adversa parte legitimè convinci nequeat, hoc in casu tantum abest, quin res injustè detenta in foro conscientie retineri possit, ut potius ille, pro quo est præsumptio hæc, agnitâ veritate, atque ita conscientiam ejus læsa, ad restitutionem teneatur. Quamvis enim lex ejusmodi possessorem in judicio seculari tutum faciat, nec in foro Ecclesiastico ob occultum peccatum & ex defectu sufficientis probationis directa Evangelica denunciatio locum habeat.

Vid.

Vid. D. GODFR. de Jena in tract. de S Ct. Macedon. Sect. 4. apb. 11. n. 17. & seqq. quia tamen in judicio animæ sola veritas spectatur, ut ait Innocent. in c. quia pleriq; de immunit. Eccles. & non tollitur peccatum, nisi restituatur ablatum, c. peccatum 4. de R. J. in 6to. Idcirco neminem, qui iniquè se possidere certò scit vel credit, non obstante, quod vel ex cursu temporis memoriam hominis excedentis, vel alia ex causa acquisitam habeat præsumptionem quandam juris & de jure, in foro conscientia retinendo rem securum esse autumamus. Vid. MENOCH. lib. 1. quest. 79. n. 7. & quest. 80. per tot. ubi quomodo & quando præsumptio juris & de jure in foro conscientia servanda sit, suo pro more copiosè & doctè admodum explicat. Sed quæri hic potest, an dubitans possessionem imemoriam ex justo titulo & b. f. cœptam, sicque præsumptionem juris & de jure esse justam, rem in foro conscientia retinere possit? Distingui posse videtur, aut enim dubitatio nascitur ex præsumptionibus, ex quibus possessor fermè colligit rem esse alienam aut titulo injusto occupatam & tamen non certò scit: aut verò levis est dubitatio, sive præsumptiones, quæ leve dubium inducunt. Priori casu, ubi talis disputatio in judicio temporali impedit usucapionem, cum bona fide non possideat, qui rem suam esse non credit, DN. STRUV. Syntagm. Jur. civil. Exercitat. 43. thes. 12. Ita multò minùs ob istam in judicio animæ & sic in foro conscientia, ubi solius veritatis habetur ratio, rejectâ omni juris præsumptione, retentio rei justa erit. Et posito, quod ejusmodi possessor non teneatur contra conscientiam suam, tenetur tamen secundum conscientiam erroneam, peccatq;ve, nisi conscientiam erroneam deponat. Posteriori casu, quia levis dubitatio veritatem non tollere, ac ne aliqualem scientiam rei alienæ afferre, ne dicam tam vehementem, quæ ex tanto tempore insurgit, tituli & bonæ fidei præsumptionem refringere posse videtur, ideoq;ve possessorem tali modo dubitantem in foro etiam conscientia á rei restitutione tutum esse statuimus, argumento eorum, quæ ex Jure civili & Moralists de usucapione docet DN. STRUVIUS d. th. 12.

(c) Denun-

19
11
67

(c) Denunciatio Evangelica, prout ex Canonistis notum est, est remedium quoddam extraordinarium Jure Pontificio in foro Ecclesiastico & praxi receptum, quo in subsidium succurritur ei, qui juris civilis actionibus & auxiliis destitutus est, adversus peccantem, ut pœniteat, & consequenter rem injuste detentam restituat. Hujus quidem remedii finis primarius est, ut denunciatus pœnitendo exeat è peccato, secundario tamen & per consequentiam eatenus annexam habet causam restitutionis, quatenus restitutione rei omiſſa, denunciatus perfecte pœnitere nequit, cum juxta vulgarem regulam juris Canonici non tollatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Videatur omninò DN. GODOFR. de Jena Jctus Excell. in supra alleg. tract. de Sct. Maced. ubi Sect. 4. per tot. utilem & difficilem hanc doctrinam de denunciatio. Evang. & quæ ad eam spectant, copiosè & nervosè tractat. Hanc itaque denunciationem Evangelicam adversus lapsum temporis imemorialis, sicque inde ortam tituli præsumptionem juris & de jure regulariter non admitti in conclusione rectè diximus, hocque nostrum assertum duabus sequentibus rationibus & argumentis probatum damus. Nam (1.) certum est, quod denunciatio Evangelica aliter fieri non possit, quàm si materia peccati adsit, ob peccati namq; causam inventam esse ipsam denunciationem Evangelicam nemo forsan in dubium vocabit. At quomodo quæso, peccati argui poterit is, qui præsumptione quadam juris & de jure atque ita exceptione tutus possidet? Imò lex ipsa Pontificia adprobat hanc exceptionem, dum temporari immemoriali vim legitimæ concessionis tribuit, cap. super quibusdam. 26. X. de V. S. quæ autem sunt à lege Pontificia adprobata, ea etiam in foro conscientie recepta sunt: quia non permetterent Canones cum peccato aliquem possidere c. de Viduis 27. q. 1. Hinc ratio colligendi: Quicumque non existit in peccato, contra eum locum non habet denunciatio Evangelica; Pro quo stat à jure ipso Canonico adprobata præsumptio quædam tituli juris & de jure, ille non existit in peccato. E. contra eum, pro quo stat præsumptio tituli juris & de jure, locum non habet denunciatio Evangelica. Majoris consequen-

D

quentia in propatulo est. Minoris veritas ex antea dictis factis sibi constat. (2.) In quavis denunciatione Evangelica necessario requiritur, ut denunciatus de peccato denunciati v.g. de injusta ejus detentione legitime & sufficienter doceat, cum nunquam ipse tanquam testis in propria causa nudæ assertioni fides habeatur. DN. GODOFR. de Jena d. Sect. 4. aph. 12. n. 8. & seqq. Jam verò dictum fuit in conclusione præcedente, quod præsumptio hæc tituli, uti cæteræ juris & de jure præsumptiones omnes, omnem planè refugiat probationem in contrarium. Unde ergò denunciare volenti contra hanc præsumptionem juris & de jure sufficiens probatio suppetet, si ipsi omnis probandi via præclusa est. Hinc concluditur: Contra quodcunque non admittitur probatio contrarii, contra illud etiam non admittitur denuntiatio Evangelica. Contra præsumptionem hanc tituli non admittitur probatio contrarii. Ergo contra præsumptionem hanc tituli etiam non admittitur denuntiatio Evangelica. Et major & minor ex antecedentibus manifesta sunt.

(d) Primo quidem intuitu hæc exceptio vel limitatio non videtur esse fundata, si quidem hoc modo, ubi nimirum per confessionem ejus, pro quo est hæc tituli præsumptio, vel aliter ex notorietate probari potest, injustè quem possidere, adest actio vel remedium ordinarium, per quod causa & negotium ad judicem secularem deferri possit, cum & forum civile juxta antè dicta contra hanc præsumptionem juris & de jure admittat ejusmodi probationes privilegiatas, ita ut denunciatione hac Evangelica tanquam remedio quodam extraordinario & subsidiario nec hoc in casu opus esse videatur. Verum quia magna vis est notorii, & probatio, quæ fit per confessionem, multa habet specialia, aliis probationum generibus non concessa cap. cum Joannes X. de fid. Instr. c. 1. de conf. in 6to. Idcirco meritò probamus eorum opinionem, qui ob vim confessionis & notorii vel simpliciter denunciationi Evangelicæ adversus quamcunque præsumptionem juris & de jure locum dant, uti MENOCH. lib. 1. quest. 79. n. 1. & seqq. vel eam ratione saltem pœnitentiæ admittunt, vel etiam remedia juris civilis cum hoc remedio canoni-

canonico concurrere posse statuunt. *Vid. Dn. de Jena in sepius laud. tract. de S Ct. Maced. Sect. 4. aph. 7. n. 36.*

XIII.

PRæter intentionem immemorales quasi fuimus in explicando tempore immemoriali, citius dimisfuri tempus centenarium, quod quidem æquè ac tempus immemorale non levem possessori acquirit tituli præsumptionem, ista tamen præsumptio tam firmo talo non stat, quo minus aliquali saltem tituli vitiosi vel malæ fidei ostensione prosterniqueat, (a)

(a) Spacium centum annorum rectè contemplantes fateri cogimur, illud magni quoque esse roboris, quippe cum hodiè ne millesimus quidem hominum centum annorum metas vivendo, non dicamus recordando vel memorando attingere, multò minus superare possit. Unde non immeritò tanti temporis cursus terminus vitæ humanæ longissimus in LL. judicatur, ad hunc effectum, ut quemadmodum is, qui pro asserenda alterius morte brevius spacium ponit, illud probare debet, ita è contrario, qui pro adstruenda alterius vita in longiori termino suam intentionem fundat, illam quoque docere teneatur. Etsi autem ex civili hac ratione tempus C. añorum nomine temporis imemorialis plerumq; veniat, & uti suprà dictum, moraliter pro infinito habeatur, nec negari possit, quod in inferenda tituli præsumptione ejus etiam magna vis sit adeò, ut quæ hætenus de tempore simpliciter immemoriali tradita sunt, plurimam partem ad illud applicari queant. Quia tamen faciliore negotio investigari potest, quo titulo, quavè fide, bonâ vel malâ, possessio seu præscriptio centenaria suum cœperit initium, in possessione autem imemoriali hoc arduæ ac difficilis indagationis sit, cum imemoriale tempus futurum non sit, si ponamus tituli injusti vel malæ fidei, quæ ab initio intervenit, memoriam aliquam constare, l. 28. ff. de prob. MATTH. STEPH. de Jurisd. 2. p. 1. c. 7. n. 156. Idcirco præsumptio

tituli, quam lapsus centum annorum inducit, præsumptione ex tempore memoriam excedente orta longè fragilior & infirmior existit, quæ, si titulus vitiosus aliquis proferatur, vel qua alia ratione malam fidem ab initio intervenisse appareat, una cum præscriptione corrumpitur & evanescit, ANT. FAB. in Cod. lib. 7. tit. 13. def. 2. CARPZ. p. 2. const. 1. def. 7. n. 11. Cæterum cum dicimus possessionem immemoriam difficilem admodum vel planè non admittere exceptionem malæ fidei, exinde nemo colligere debet, quasi statueremus, quod ad validitatem præscriptionis immemorialis bona fides non sit necessaria: Nam quin hodiè in omni præscriptionis genere etiam immemorialis bona fides præsertim de jure Pontificio requiratur, dubium amplius nullum habet, & tanquam ex consuetudine universali ita inductum est, testibus GAILIO 2. obs. 18. MYNSING. cent. 4. obs. 6. STRUV. Exerc. 43. tb. 23. & multis aliis. Quamquam in puncto juris civilis contrarium optimè defendi posse videatur per ea, quæ hac de re notavit HAHN. ad Wes. tit. de usurp. & usuc. n. 11. verb. quod jure Pontificio.

XIV.

Habet autem curriculum centum annorum specialiter consideratum (a) vim tituli, maximè in acquirendis seu præscribendis rebus ad Ecclesiam Romanam pertinentibus. (b)

(a) Nam si in genere consideramus hujus temporis diuturnitatem, eundem penè ea circa titulum præsumendum & inducendam præscriptionem sortitur effectum, qualem tempus immemoriale in specie sic dictum sortiri in præcedentibus diximus; Quamobrem in quibus rebus per præscriptionem acquirendis non alius, quam immemorialis temporis cursus requiritur, in illis centenarium tempus sufficiens esse communis ferè vult Dd. schola, cui tamen rectè contradicit CRAVETT. in c. possessor. §. 3. n. 8. Ac licet tandem de capto C. annorum curriculo memoria aliqua haberi, aut initium præscriptionis centenariæ respectu immemorialis faci-

facilius probari possit, est tamen hæc probatio multis adhuc implicata difficultatibus, quoniam juxta verba Imperatoris *in præf. Nov. III.* per tantum seculi magis, quam temporis spacium, nec documentis integritas, nec actis fides, nec ætas valet testibus suffragari.

(b) Primis quidem temporibus ex Constitutione JUSTINIANI omnes indifferenter Ecclesiæ hoc donatæ fuerunt privilegio, ut ipsis non potuerit alia præscriptio opponi, quam C. annorum, *l. ult. c. de SS. Eccles. Nov. 9.* sed postea hanc constitutionem iterum mutavit dictus Imperator, in locum centenariæ quadragenariam præscriptionem substituens, eamque adversus Ecclesias omnes sufficientem esse volens *in Nov. III. § 131. c. 6.* Quod posterius placitum etiam secutus fuit Gregor. I. non exceptâ Ecclesiâ Romanâ, *c. 2. quest. 4. XVI.* Recentiores verò Pontifices eximerunt Romanam Ecclesiam, sancientes, ut ei alia præscriptio nocumento non sit, quam centum annorum, *c. fin. q. 3. XVI. c. 13. 14. 17. in fin. X. de præsc.* Atque hanc Canonicam definitionem secutum fuisse IRNERIUM *in auth. quas actiones. C. de SS. Eccles.* putat Dn. STRUV. *Exerc. 43. th. 19. in fin.* Dissentit HAHNIUS *ad Wes. de usurp. n. 7. verb. aut tanto temporis. dictam Nov. 9. per Nov. III. § 131.* non correctam esse contendens, cum illa sit specialis, hæ autem generales. Præterea volunt nonnulli etiam in aliis rebus solam præscriptionem centenariam vim tituli habere, ut (1.) in bonis Cameræ Principis, MENOCH. *recup. remed. 15. n. 428.* nec non (2.) in bonis Civitatis, BRUNN. *ad d. Auth. quas actiones. cum alleg. ibidem.* Sed quia in hisce rebus eadem militat ratio, cujus intuitu Justinianus præscriptionem centenariam reduxit ad quadragenariam, ideò contraria opinio verior & communior videtur. HAHN. *ad Wes. d. loc. verb. quædam quadraginta annis.*

XV.

Consideratâ Tituli præsumptione, quæ ex tempore moraliter infinito suam fortitur originem, reli-

D 3

quum

quum est, ut brevissimis quoque videamus, qualem vim & effectum circa eandem materiam habeat tempus finitum. Dividi autem potest tempus finitum, (1.) in longissimum, (2.) longum; & (3.) in modicum, id est, triennale vel annale.

XVI.

Longissimum tempus absolvit cursus triginta, vel quadraginta annorum.

Hoc modo communiter terminatur tempus longissimum, nec immerito, cum id ex *tit. C. de prescr. 30. vel 40. ann.* luculenter adpareat. Quamvis negari nequeat, quod regulariter longissimi temporis appellatione tantummodo veniat tempus tricennale. Notandum verò hinc est, quod jus Saxonicum solum curriculum 30. ann. pro longissimo tempore non agnoscat, sed certum quoddam insuper augmentum, unius videlicet anni & diei, id est, sex hebdomadam atque trium dierum requirat, ita ut hoc jure sub nomine temporis longissimi semper intelligendus sit lapsus 30. ann. cum anno & die. Rationem hujus augmenti exponit CARPZOV. p. 2. *const. 3. def. 5.* Excipitur tamen tempus quadragenarium, in quo prædictum augmentum de Jure Saxonico non est necessarium, per trad. præalleg. CARPZ. d. p. 2. *const. 5. def. 7.*

XVII.

Emergere autem ex lapsu temporis longissimi cursu Tituli præsumptionem communis & frequenti Interpretum calculo, ac ipso etiam rerum usu recepta fert sententia. (a) Quæ præsumptio adeò potens ac valida est, (b) ut non immerito aliquem ancipitem & dubium reddere possit, sitne contra illam probatio contrarii admittenda, nec ne? (c) Prævalere tamen moribus hodiernis, & magis recipienda videtur esse doctrina, contrariam tituli vitiosi probationem admittens

19
11
19
tens (d) semperque prætereà tituli allegationem desiderans. (e)

(a) De qua testantur CRAVETT. *de antiq. temp. p. 4. §. absolutis. n. 28.* WESEMB. *p. 1. conf. §. n. 21.* HEIG. *p. 1. quest. 16. n. 55.* COLER. *ad cap. ult. X. de præscript. n. 39.* & ex iis CARPZOV. *p. 2. const. 3. def. 7. n. 12.* DAV. MEVIUS *part. 6. dec. 122.*

(b) Per hanc enim de tam longæ possessionis continuatione ductam tituli præsumptionem possessor plenissimam securitatem acquisivisse dicitur, WESEMB. *d. conf. n. 7.* & probato solum tempore longissimo, nullâ tituli probatione est gravandus: Nam præsumptio juris liberat non modò ab omni probationis onere, *l. fin. ff. quod met. caus. gest.* Sed ipsa quoque possessio tricennalis pro titulo habetur, CASTR. *in l. si aqua n. 1. §. 2. C. de servit.* BALB. *de præf. 2. part. 4. partis princip. quest. 2. n. 7.* ac veritatem generat, CRAVETT. *in d. §. n. 9.* WESEMB. *loco cit.* Et si præscriptio longissimi temporis procedit etiam sine titulo, uti de jure Civili nec non Canonico extra omne dubium procedit, fatente & attestante hoc communi Dd. scholâ, per textum *in l. si quis emt. C. de præsc. 30. vel 40. ann. §. cap. 1. de præscr. in 6.* sanè ejus probatio esset supervacanea? MEV. *d. decis. vid. Wes. d. conf. n. 21. cum alleg. ibidem.*

(c) Hujus dubitationis ratio ex modò dictis non potest esse obscura. Stante enim hoc præsuppositò, quod juxta LL. Romanas & sancita Pontificum ad præscriptionem longissimi temporis nullus requiratur titulus, quod ipsum juri etiam Saxonico congruere satis innuit textus *in libr. 2. art. 44. ubi Glos. & Land. lib. 1. art. 28. 29. ubi Glos. SCHURFF. conf. 32. n. 41. cent. 1.* in quem finem opus erit locum dare probationi, quod per 30. ann. decursum continuata possessio cum titulo vitioso vel nullo incepta sit. Idcirco si hoc ad amissum juris maximè civilis (ut quod nec bonam fidem in hoc præscriptionis genere desiderat, per ea, quæ hæc de re doctè differit HAHN. *ad Wes. tit. de usurpat. §. usuc. n. 11. verb. quod jure Pontificio*) examinare volumus, luben-

lubentes fateri cogimur, in puncto juris magis probandam esse opinionem eorum, qui probationem deficientis ab initio tituli 30. vel 40. ann. præscriptioni, & ex illa promananti tituli præsumptioni minimè obeße statuunt, Conf. inter alios COVARR. *in cap. possessor. p. 2. §. 4. n. 3.* ROSENT. *de feud. c. 6. conc. 77. n. 4.*

(d) Vel saltem ad hunc finem, ut possessor convinci possit in mala fide; Postquam enim in terris Imperii & consuetudine quasi quadam universali, prout supra quoque dictum fuit, observari cœperunt jura Canonica, ex quorum dispositione omnis generis præscriptio ad sui validitatem necessario requirit bonam fidem, quæ quidem b. f. ex decursu temporis longissimi æquè ac titulus præsumitur, ita tamen, ut is, contra quem allegatur talis præsumptio, audiendus sit, si malam fidem præscribentis probare velit. CARPZ. *p. 2. const. 3. def. 7. §. 8. & lib. 1. Resp. El. 33. §. 40.* Et verò probatione hæc optimè defungi posse videatur, probando nimirum possidentem vel præscribentem vitiosum ab initio habuisse titulum, quò ipso statim includitur & arguitur etiam mala fides; nam quod meum non est, utique scire debeo ad alium pertinere, *l. 32. ff. de reb. cred. vel quomodo quæso credat possidens rem esse suam, si titulum & causam possessionis ignoret?* MATT. COL. *ad rubr. ext. de præscript. n. 7.* Sequitur exinde infallibiliter, quod & is, cui adversatur præmemorata tituli præsumptio, admitti debeat, si defectum tituli iusti docere velit & possit. Accedit adhuc alia ratio ad sustinendam hanc doctrinam multum faciens; Nam cum certum & indubitatum sit, quod hæc præsumptio non sit juris & de jure, sed juris tantummodò, sequitur iterum, quod contra talem præsumptionem possit contrarium probari, quò probatò, præsumptio nullum habet effectum; Sic de omnibus juris præsumptionibus docuit MENOCH. *lib. 1. quest. 31. n. 2. ubi n. 3. in specie asserit, quod præsumptio à temporis antiquitate exorta tollatur contrariâ probatione.*

(e) Quemadmodum enim bona fides non allegata non præsumitur, ut eleganter docet COLER. *ad cap. ult. d. t. num. 31.*

SCHNEIDW.

SCHNEIDW. in pr. Inst. de usuc. n. 26. Ita de titulo idem
asserere identitas rationis, nec non arcta, quæ inter hæc
duo intercedit conjunctio, suadere videntur. Quamvis
traditionem hanc non parum dubiam reddant ea, quæ ex
Jafon. Bart. & Socin. jun. refert MENOCHIUS d. lib. I. quest.
48. n. 43. qui tamen num. præced. in nostram magis sen-
tentiam inclinât, & tacitam etiam allegationem sufficere
putat, quest. seq.

XVI.

Quamvis igitur longissimi temporis spacium sem-
per secum ferat tituli præsumptionem, necessa-
rium tamen esse ducimus, paucis hîc exponere, qui-
busdam casibus vel 30. vel 40. annorum cursu ad
producendum hunc effectum specialiter fit opus. Et
quidem tempus tricennale quod attinet, ejus curri-
culum requiritur I. Si quæstio est de præsumendo
titulo obligatorio adversus eum, de cujus magno vel
maximo præjudicio tractatur. (a)

(a) Ita unanimiter ferè sentiunt Interpp. CRAVETT. in d. tract.
de Antiq. temp. in 3. part. principali in pr. n. 23. BALB. de
Prescript. in 3. part. part. princ. quest. 10. n. 7. & quos ad-
huc allegant MENOCH. de præsumpt. lib. 3. præf. 131. n. 96.
MASCARD. de prob. vol. 3. concl. 1371. n. 85. & 91. Hujus
rei multa exempla afferri possunt. Sic (1.) si quis alicui ex
re sua allodiali per 30. annos tanquam Vasallus servitia feu-
dalia præstitit, hoc enim in casu titulus & causa præstatio-
nis contra vasallum in ipso etiam petitorio præsumitur, &
illi, qui pro domino habitus fuit, jus vasallagii acquisitum
esse censetur. BALB. in d. quest. 10. n. 26. & 34. ubi in fine
dicit hanc opinionem esse communem, quem referendo se-
quuntur MASCARD. in d. concl. n. 114. & MENOCH. in d. præf.
n. 53. & 90. Adde SCHRAD. tract. de feud. p. 5. c. 4. n. 16.
MOLIN. in consuet. Parisiens. §. 7. n. 15. tit. I. ROSENTH. de
feud. cap. 6. concl. 81. n. 4. Idem obtinet (2.) quando ali-
quis

E

quis per tantum temporis spacium alicui servivit tanquam subditus, is enim & in futurum ad subjectionem & servitia exhibenda obligatus præsumitur, MENOCH. *d. loc.* Hinc quoque (3.) si constat in foro Saxon. quod rustici operas & servitia per 30. annos cum solito augmento Nobilibus præstiterint, tunc contra illos inducitur præsumptio, quod & in futurum ad præstationem sint obligati: pro Nobilibus aliisve dominis verò præsumitur, quod jure subjectionis & obligationis exegerint servitia, inque hac exactio tam in possessorio, quam petitorio defenduntur, usque donec rustici legitimè probaverint, se non jure subjectionis vel obligationis, sed jure familiaritatis, aut amicitiae, aut etiam vi coactos operas præstitisse, *Vid. CARPZ. p. 2. concl. 4. def. 1. & seqq. cum alleg. ibid.* Aliud exemplum se offert (4.) in Emphyteusi, quando enim quis ut emphyteuta rem aliquam possedit & solvit annuam aliquam pensionem seu uniformem canonem per 30. annorum cursum, is censetur effectus perpetuus emphyteuta, BART. *in l. litibus 1. 2. C. de agric. & cens. lib. 11.* Nam quod solum tricennium præsumi faciat titulum emphyteuticum seu emphyteuseos, præsertim si in petitorio versetur, expressè docent MENOCH. *part. 3. præf. 108. n. 4. & d. præf. 131. n. 53.* & MASCARD. *in d. tract. vol. 1. concl. 337. n. 1.* Notanter verò diximus, si canon præstitus sit ab aliquo, velut ab emphyteuta; siquidem enim de hoc non appareat, validam tunc quoque non esse hujus tituli præsumptionem certum est ex iis, quæ habentur apud DAV. *Mev. part. 3. d. 288.*

XIX.

II. Quando agitur de præjudicio tertii.

Textum hac dere singularem esse dicit MASCARD. *d. concl. 1371. n. 91. in cap. pervenit 3. de Emt. & vend.* ubi disponitur, quod spacium triginta annorum in alienatione factâ per maritum in re dotali ad præjudicium uxoris faciat præsumi solemnitatem. Et quamvis hoc exemplum tanquam huic textui incongruum non sine ratione reprobetur à MENOCH. *d. p. 3. præf. 132. n. 64.* qui tamen ipse MENOCH. *preced. præf. 131. n. 91.* fatetur,

97. fatetur, quod in præsumendo titulo obligatorio ad præjudicium tertii sufficiat, si modò præterlapse sint viginti anni. Ideo multò magis idem videtur dicendum de cursu 30. añorum ex eo, quoniam sub tricennio vicennium quoque continetur, sicut in majori summa inest minor.

XX.

III. **I**N casibus, in quibus contral. cogi 11. C. de pet. Hered. titulus possessionis necessariò est docendus & probandus.

Ex his præcipui sunt (1.) Cum quis in re aliena jus præten- dit l. 8. § 10. C. de Serv. § aq. §. pen. Inst. de servit. (2.) Cum possidenti adversatur quædam juris præsumtio l. sive possidetis C. de Prob. c. cum contingat 29. de Dec. cap. 1. de præscript. in 6to. CARPZOV. part. 2. const. 8. def. 4. (3.) Cum quis rem alienam possidet, quam sine voluntate domini possidere non potest. Can. contra morem. distinct. 100. (4.) Quando sine titulo, quod tenetur, acquiri, aut præscribi non potest, GLOSS. in l. 2. C. de Jure Emphyt. (5.) Quando actor de jure suo in re aut ad rem docuit. MEV. part. 6. dec. 151. (6.) Quando agitur de re jus aliquod superioris concernente, seu quando contra Principem jus obtenditur, MENOCH. rem. retin. poss. 3. n. 590. Et denique (7.) Si exemptio à debito aliàs consueto allegatur. MEV. part. 4. decis. 357. In omnibus hisce casibus, excepto saltem secundo cum duobus postremis (utpote in quibus juxta superius dicta tempore immemoriali ad hoc, ut tituli insurgat præsumptio, opus est,) putaremus possessorem non esse onerandum probatione tituli, qui possessionem per cursum 30. añorum continuaverit. Si enim ex tanto temporis spacio acquisitio rerum mediante præscriptione etiam absque titulo prævio contingere potest, CAR. MOLIN. ad Conf. Paris. tit. 1. §. 7. n. 21. COVARR. cit. loc. § Dd. communiter per textum in l. omnes § l. sicut C. de præf. 30. vel. 40. ann. Cur non multò magis tituli præsumptio? ut quæ acquisitione per præscriptionem longè fragilior est; cum per hanc tempus ab omni

jure & actione excludat. l. 3. Cod. de pres. 30. vel 40. ann.
ROSENTH. d. tract. c. 6. concl. 79. n. 8. MENOCH. de Pres. lib.
pres. 131. n. 96. MEV. p. 6. d. dec. 151. n. 6.

XX.

IV. SI agitur de præsumendo titulo liberatorio à lu- cro favorabili, vel causam onerosam annexam habente.

MENOCH. d. pres. 131. n. 98. Exemplis res fiet clarior.
Sic (1.) dispositum reperitur in l. 18. §. 1. de alim. & cibariis.
leg. quod alimenta debita non soluta possint peti tam præ-
terita, quam futura, non obstante, quod debitor annis qua-
tuordecim interpellatus de iisdem solvendis non sit. Cir-
ca hunc textum notant Dd. non aliter præsumi titulum li-
beratorium, v. g. donationis, nisi creditor per tempus 30.
annorum tacuerit, & debitorem de faciendâ solutione
non interpellaverit. MASC. de prob. vol. 3. concl. 1371. n.
93. & 94. Aliud exemplum, in quo lucrum cum favore
simul annexam habet causam onerosam, traditur in usuris
seu interesse dotis, quod marito pro oneribus matrimonii
supportatis debetur, dote nondum solutâ. Illud enim non
aliter intelligitur remissum, seu in hoc præsumptus titulus
liberationis contra maritum inducitur non aliter, ac si ille
per longissimi temporis intervallum non petiit, sed tacuit.
Conf. MASC. in d. concl. n. 98. Et licet ab hac sententia
divortium faciat MENOCH. lib. 3. pres. 25. n. 2. & 3. ubi
decennium saltem ad præsumendum hoc in casu titulum li-
beratorium sufficiens esse dicit ob generalitatem textûs in
l. cum quidam 17. §. Divus 1. ff. de usur. A priori tamen opi-
nionem non esse recedendum censemus, distinguendo nimi-
rum inter usuras, quæ veniunt ut merum lucrum, & sic
quæ causant titulum lucrativum, & inter eas, quæ debentur
tanquam interesse, quales sunt usuræ dotis propter sup-
portata onera matrimonii & sic causantes titulum onero-
sum, pro quarum remissione præsumendâ meritò longioris
temporis spacium requiritur, cum sicut dos, ita etiam usuræ
dotis

19
11 19

dotis ceu accessorium ex parte mariti maximè sint favorabiles. Conf. BRUNNEM. *ad d. l. 17. n. 2.* Vel utraque etiam opinio videtur posse sustineri; illa quidem, quam defendit MASCARD. in casu, quando à focero usuræ expresso pacto fuerint promissæ, & à genero per tempus longissimum non petitæ, ita ut focer non tantum in præsumptivâ remissione, sed simul etiam in præscriptione, exquæ eâ postmodum resultante tituli liber. præsumptione se fundet. Hæc autem, pro quâ stat MENOCH. in lucro dotis, quam vir lucratur, si culpa mulieris factum est ab uxore divortium, & ita in casu *l. cum post. 69. pr. ff. de Jure dot.* vid. *infra conclus. 31. in lit.*

XX.

Quadragesimum tempus ad effectum præsumptionis tituli in specie necessarium esse videtur (I.) in bonis Ecclesiasticis (II.) in prædiis piorum locorum. (III.) in rebus fiscalibus, h. e. fisco jam acquisitis. (IV.) in rebus patrimonialibus Principis sive dominicis. (V.) in bonis civitatum.

Argum. eorum, quæ de præscriptione 40. ann. in ejusmodi rebus habentur, & à Dd. traduntur *in cap. ad aures 6. de præscript. Nov. 111. c. 1. & Nov. 131. c. 6. l. 3, l. 4. C. de bon. vac. l. fin. C. de fund. patrim. rubr. & t. t. C. ne rei domin.* Quæ omnia latè persequi non erit opus. Hoc unicum tantum annectere lubet, quod ex præscriptione 40. annorum in bonis etiam Ecclesiæ gignatur & existat præsumptio tituli emphyteutici. MENOCH. *d. tract. l. 3. præf. 108. n. 5.* Si modo bona hujusmodi ita comparata sint, ut à privatis possideri & præscribi possint. Nam si bona sunt spiritualia, sicuti sunt decimæ, tunc in his ad præsumendum titulum solum tempus immemorabile sufficiens esse supra probatum dedimus. Vid. MENOCH. *lib. 6. præf. 86. num. 4.* Quam tamen traditionem veram intelligimus, si agatur de præsumendo titulo obligatorio pro laico quoad percipiendas decimas; secus in præsumendô titulô liberatoriô à præstatione decimarum. Circa hunc enim sufficere cursum 40. ann.

E 3

ann. arbitramur. Conf. CARPZ. part. 2. const. 2. def. 4.
Cæterum quæri etiam hîc posse videtur de titulô juris Patronatûs, an & ille ex 40. ann. curriculô, vel ex continuatis per tantum temporis spacium præsentationibus præsumatur? Dicendum quod non, per ea, quæ secundum tenorem Sacri Concilii Tridentini egregiè differit MENOCH. d. lib. 3. præf. 90. & conf. 141. lib. 3. ubi ex dispositione dicti S. Concilii in Sessione 25. De Reformatione cap. 9. tantum tempus, cujus in contrarium memoria non existit, una cum continuatis per quinquaginta annorum spacium præsentationibus ad præsumendum titulum quendam Juris Patronatûs (quales tituli sunt Fundatio, Dotatio, Constructio, Reædificatio, & Ditatio Ecclesiæ test. eod. MENOCH. lib. 3. præf. 90. n. 8. & 9.) necessarium esse dicit.

XXIII.

Longissimum tempus excipit tempus longum h. e. decem ann. inter præsentés, viginti inter absentes.

XXIV.

Hoc temporis genus in multis quidem juris articulis ad generandam tituli, cum obligatorii, tum liberatorii præsumptionem, non minùs ac cætera aptum est, ne tamen discursus hic in integrum excresecat tractatum, animus est, articulos istos in præsentiarum saltem attingere ac breviter percurrere, rejecto cupido lectore ad Scriptores, qui uberius materiam hanc profecuti sunt, quos infra suis locis allegabimus.

XXV.

Primo itaque loco se exhibent res incorporales, veluti servitutes, in his longi temporis decursus præsumi

19
11 19
sumi facit id, quod communiter vice tituli habetur,
& aliàs in specie titulus præsumptus vocari solet, (a)
sive habeant causam continuam sive discontinuam,
(b) Dummodo titulus servitutis discontinuæ expres-
sè allegetur, simulque probetur, quod quis usus fue-
rit per tantum tempus, servitute ex illo titulo allega-
to sibi debitâ. Nec sit servitus quædam personalis,
ut usufructus, vel Ecclesiam concernens, (c)

(a) In oppositione nimirum ad titulum verum, qui in usucapi-
one rerum corporalium est necessarius, cum in rebus incor-
poralibus sufficiat præsumptus, h. e. si velim ex longo tem-
pore præscribere rem quandam corporalem, semper opus
habeo docere de titulo, quia hæc præscriptio citra tituli pro-
bationem non procedit, COVARR. ad d. cap. possessor p. 2. §.
5. n. 2. At secus est in præscribendis rebus incorporalibus, in
his enim tituli probatio nunquam exigitur, cum longævus
usus tituli locum obtineat, seu lex præsumat ex longo hoc
usu jure constitutam esse servitute, MASCARD. vol. 3. concl.
1193. n. 30. ubi asserit, hanc esse communem & veram pru-
dentum sententiam. Oritur igitur hic titulus præsumptus
ex præsumptâ quâdam scientiâ vel concessione, quam indu-
cit patientia ejus, ad quem res, in quâ jus quoddam servitutis
acquirendum, pertinet, jure per dictum temporis spacium,
altero nec vi, nec clam, nec precario utente, l. 10. si serv.
vind. l. 2. C. d. serv. & q. Et hoc quidem in servitutibus
affirmativis, in servitutibus autem negativis ratio hujus titu-
li itidem in patientia & obsequio consistit, seu quod alter pro-
hibitioni obtemperet, & id, quod prohibitum, per longum
tempus intermittat. Conf. Dn. STRUV. Exerc. 13. th. 38. &
Exerc. 43. th. 15.

(b) Ita communiter tenere Legistas & Canonistas ex Paul. de
Castro iterum testatur MASCARD. d. l. n. 67.

(c) Hæc omnia suo pro more doctè explicat & declarat præ-
citus MASC. à n. 68. usq; ad n. 73. A quo tamen quoad u-
suum fructum ob generalitatem d. l. 10. si servit. merito dis-
sen-

sentimus. Vid. *LONGOVALL.* ad l. imperium ff. de jurisdic.
part. 4. vers. hactenus n. 18.

XXVI.

REbus incorporalibus annumeratur quoque Juris-
dictio, circa hanc etiam quæri potest: an in ejus
præscriptione patientia & scientia adversarii per lon-
gum tempus, ex moribus & consuetudine hodierna
(a) faciat resultare titulum præsumptum, an verò
titulus verus requiratur? Nos prius affirmare non
veremur, (b)

(a) Per quam in commercio esse & patrimonialis fieri cœpit
jurisdictio, ita ut per infeudationem, contractus, aliosve titu-
los jure hereditario concedi soleat.

(b) Innixi autoritate *LONGOVALLII* ad d. l. imperium n. 19. Li-
cet contrarium velit *PAURMEISTER* de jurisdic. lib. I. cap. 23.
n. 27. Si modo controversia sit de præscriptione jurisdic-
tionis adversus parem vel inferiorem, non verò Principem vel
alium superiorem; contra hunc enim sola præscriptio ho-
minum memoriam superans inducit præsumptionem tituli,
quoniam hoc in casu jus vehementer refragatur præscriben-
ti, uti jam supra monuimus. Hinc extra casum probatæ
possessionis immemorialis non tantum in petitorio, sed in
quovis possessorio contra Principem de jurisdic-tione opus
est, ut titulo justificetur possessio, cum illius jurisdic-tio & pro-
ea intentio ubique fundata sit, vid. *MENOCH. retin. poss. rem.*
3. n. 590, & *remed. recup.* 15. n. 469. *MASCARD. d. tr. concl.*
1371. n. 76. Quæ ratio etiam efficit, ut mandatum sine clau-
sula pro restituenda possessione jurisdictionis, aliorumque,
quæ sine titulo possideri nequeunt, contra superiorem
non decernatur, nisi titulus specificè sit allegatus & aliqua-
liter demonstratus, *MEV. part. 1. dec. 44.* & *part. 4. d.*
356. add. *dec. 313. part. 2.* Conf. *POST. de Manut. ob-*
serv. 44. n. 29. & seqq.

XXVII. Præ-

XXVII.

Præterea longi temporis lapsus vim suam exerit (I.)
In præsumendo Titulo Feudali pro Vasallo contra
dominium, (a) etiamsi in petitorio agatur (b)

(a) Hujus Tituli genuina ratio præcipue consistit in investitu-
rà, quam communiter vocant abusivam: ad legitimam enim
feudi constitutionem & acquisitionem non sufficit, si titulus
aliquis dominii translatus præcesserit traditioni, sed insu-
per requiritur, ut singularis quidam contractus interveniat,
qui celebratur per dictam solennem investituram, quâ me-
diante Dominus signo quodam adhibito coram testibus jus
feudi alicui fidem promittenti quasi cedit & in vasallum
eum recipit, vid. Dn. STRUV. syntagm. jur. feud. cap. 8. aph.
3. § 5.

Hæc igitur investitura seu solennis concessio, sine ullo a-
lio adminiculo aut vasalli juramento intervenisse vel præ-
visse præsumitur, quando vasallus rem aliquam per longi
temporis curriculum, tanquam feudalem possedit, & inde
vel semel vel sæpius vasallatica obivit officia, aut eum in
feudum recognovit, ROSENTH. cum alleg. d. tr. cap. 6. concl.
79. n. 6. Alia ratio est, si agitur de præsumendo titulo va-
sallagii seu vasallatico adversus vasallum, nam hoc in casu
ad inducendam hanc præsumptionem non sufficit, quod
Dominus per 10. vel 20. annos servitia feudalia ex re Vasal-
li perceperit, sed expressè requiruntur 30. anni, cum hic
non solum de præsumendo titulo quoad rem, sed etiam
personam Vasalli, ut ea quâdam subjectione, vel vasallati-
câ obligatione obstringatur, & sic de graviore agatur præ-
judicio, vid. sup. concl. 18. add. SCHRAD. de feud. p. 5. cap.
4. n. 16. (b) in possessorio enim ex præstatione etiam
minoris temporis Vasallus obtinere potest, ROSENTH. loc.
præmem. litt. D.

XXVIII.

II. In præsumendo Titulo Emphyteuseos pro Em-
phyteutâ contra Dominum.

F

Exempli

Exempli gratiâ, si quis tanquam Emphyteuta tenuerit rem aliquam, pro eâ solvendo canonem, præsumitur rem in emphiteusin, mediante contractu emphiteutico (in quo hujus tituli ratio inter alia continetur, vid. STRUV. Synt. Jur. Civ. Exerc. II. tb. 63.) perpetuo accepisse, eique concessam fuisse, quamvis aliter non appareat de concessione: Hanc præsumptionem latè pertractat MASCARD. vol. 2. concl. 603. per tot.

XXIX.

III. **I**N inducenda præsumptione tituli cujusvis annuæ præstationis ad præjudicium illius, qui per longum tempus uniformiter aliquid præstitit, ut ratione rei sicq; realiter etiam in futurum præsumatur obligatus.

Exemplum afferre solent Dd. in rustico, qui per decennium præstitit unum par caponum nobili, propter prædium, quod ab eo colendi causa obtinet. Hanc decennalem præstationem inducere dicunt præsumptionem, titulum obligationis præcessisse, h. e. rusticum ipsum jam eo tempore, quo colere cœpit agrum, promississe nobili quotannis præstare capones. Conf. MENOCH. lib. 3. præf. 131. n. 59. & seqq. ubi hanc tituli præsumptionem multis juris textibus & rationibus fulcitum adversus Ecclesiam quoad res temporales, fiscum aliasque personas extendit, ac simul etiam varias declarationes seu limitationes annectit. Cæterum huc etiam spectat, si quis per longum tempus usuras præstitit, is enim imposterus obligatus præsumitur, per text. in l. cum in rem verso 6. in pr. ff. de usur. ex ratione, quia nemo præsumitur tam supinè negligens, ut alteri diu præstet usuras debitas COVARR. in d. cap. possessor. §. 4. n. 2. & quos refert JOH. à SANDE decis. Fris. lib. 3. tit. 14. d. 4. MEV. part. 2. dec. 318. Non obstat l. 28. C. de pact. Vid. MEV. d. p. 2. dec. 362. Non solum autem ex præstatione usurarum per longum tempus facta tituli præsumptio insurgit

furgit super usuris, sed etiam super ipsâ sorte, ita ut titulus
invalidus reddatur validus, MENOCH. d. pres. 131. BRUN-
NEM. ad d. l. cum in rem verso n. 8.

XXX.

IV. **I**N præsumendo titulo beneficiâli etiam ad effe-
ctum Regulæ Cancellariæ Apostolicæ sive Ro-
manæ de triennali possessore, dummodo is, qui
beneficium per longum tempus possedit, & sic ti-
tulum præsumptum affecutus est, postmodum
cum illo titulo præsumto per alios tres annos paci-
ficè possideat, & hujusmodi titulum præsum-
tum in specie alleget, tunc enim talis possessor tam
in possessorio, quam petitorio securus est. (a)

(a) Ita cum GOMESIO in d. reg. canc. quest. 26. eleganter do-
cet & declarat MASCARD. d. vol. 3. concl. 1371. num. 53. &
multis seqq. usq. ad n. 63.

XXXI.

V. **I**N præsumendo Titulo liberatorio & quidem 1. à
lucro odioso, veluti usurario, (a) vel quando cre-
ditor, qui à debitore annui census per decem vel
viginti annorum curricula minorem censum rece-
pit, postmodum residuum illud, quod minus sin-
gulis annis solutum est, petere vult. (b) Item si
maritus facta culpa uxoris divortio post longi tem-
poris spacium dotem petere intendit. (c) 2. à nexu
patriæ potestatis. (d) 3. in casu, ubi cum diuturnita-
te temporis simul concurrunt hæc duo, jus nempe
sanguinis & multiplicata computatio rationis. (e)

(a) Qua de re textum habemus expressum in l. cum quidam 17.
§. Divus ff. de Usur. quo in loco Paulus J.C. refert. Divum
debiro-

Pium rescripisse, creditorem parùm justè præteritas usuras petere, quas cum remisisse intervallum temporis indicat, & quas censendus est, ideo se putasse nolle petere, ut gravior debitori esset. Hunc textum singularem & exorbitantem, esse dicunt Interpp. Ideoq; inter suos terminos coercendū, & vel ad solas usuras lucratorias, (exclusis iis, quæ petuntur ex titulo quodam oneroso, vel damno perpeffo, vide supra concl. 21.) restringendum, vel de casu, ubi de captatâ gratia debitoris, vel expectato beneficio apparet, intelligendum esse volunt. Conf. *MASCARD. in d. concl. 1371. n. 96. & seqq.* Adde *BRUNNEM. ad d. l. 17.*

(b) De hac præsumptione tituli liberatorii seu Remissionis vid. *CARPZOV. p. 2. const. 2. def. 5. per tot.*

(c) Hic casus extat in *l. cum post 69. in pr. ff. de jure dot.* ubi Papinian. respondit, quod cum uxor à marito culpâ suâ divertisset, cui centum in dotem promiserat & fundum traderat, ob idque meruisset dotem amittere, quia culpâ suâ divortium fecerat: tamen quia maritus videtur renunciasse suâ taciturnitate retentioni dotis, ex eo, quod post divortium, se sciente mulier longo tempore fuit in possessione prædiorum, quæ in dotem promiserat, idcirco non poterit petere vir fundum, nec pecuniam promissam, sed ex tali longæva patientia pro muliere præsumitur titulus liberatorius, ita sentit & explicat *d. l. MASCARD. d. concl. n. 100.*

(d) Nam postquam filius per longum tempus fuit in quasi possessione existentiae sui Juris, etsi nullum titulum emancipationis vel dignitatis, vel alterius modi, quibus liberari solent filii à patria potestate, ostendat, liberatus præsumitur, *MENOC. lib. 3. præf. 131. n. 33. & lib. 6. præf. 55. n. 27. per text. l. 25. ff. de adopt. junctâ l. 1. C. de pat. potest.*

(e) Hunc casum exhibet *l. Procula 26. ff. de probat.* quem tanquam insignem commendat & declarat *MASCARD. de concl. 1371. n. 101. & seq.* cujus tamen sententia valdè dubia redditur, per ea, quæ de genuino hujus textus sensu & intellectu differit *MENOC. lib. 2. de Arbitr. Cent. cas. 88. n. 17. vid. BRUNNEM. ad d. l.*

XXXII.

Cæterum non solum ad validitatem hujus ex longi temporis cursu promanantis præsumptionis tituli expressè requiritur, ut, qui eâ fulciri vult, titulum deducat & alleget, (a) sed simul atque etiam aliqualiter modò constat de veritate in contrarium, præsumptio ista corrui & vires suas amittit. (b)

(a) Et hæc quidem allegatio & deductio fieri debet in libello MENOCH. lib. 1. quest. 53. & d. pres. 131. n. 72. non generaliter & obscure, sed clarè & specificè, aliàs titulus præsertim obligatorius ratione futuri temporis non præsumitur, MASCARD. d. concl. n. 115.

(b) Ita unanimiter sentiunt omnes Interpp. prout videre licet apud MENOCH. d. pres. n. 74. MASCARD. n. 120. ubi n. seq. sufficere dicit, si modo per aliquas alias conjecturas & præsumptiones (fortiores puta) contrarium appareat.

XXXIII.

Restat, ut de triennali & annali tempore Coronidis quasi loco paucula quædam adjiciamus. Et quidem triennii cursus ex communi Dd. opinione inducit tituli liberatorii præsumptionem, pro eo, qui pro tribus annis præteritis solverit annuas pensitationes, ad hunc effectum, quod totius temporis præcedentis nomine nil omninò debeatur, quasi integris solutis omnium annorum pensionibus; (a) Quæ tamen præsumptio tum demum efficax est, quando singulis continuis annis tribus pensiones vel census soluti fuerunt, & integra tribusque pensionibus & apochis divisa solutio probatur (b) nec à creditore doceri potest contrarium. (c)

(a) Hæc præsumptio fundata est in l. quicumq; 3. C. de Apoch publ.

F 3

publ. lib. 10. & de eâ communiter attestantur Gloss. & Dd. in l. 2. C. de jur. Emphyt. illamque copiosè pertractant MASCARD. vol. 3. concl. 1320. & MENOCH. lib. 3. pres. 139. nec destituitur ratione; cum verisimile non sit exactorem tam negligentem esse, ut recipiat solutionem continuatam trium posteriorum annorum, omisâ exactione annorum præcedentium. Ex qua ratione generali dispositio dict. l. 3. ad quascunque privatorum causas à Dd. extenditur, MENOCH. d. l. num. 15. MASCARD. d. concl. n. 4. & quos adhuc allegat CARPZOV. part. 2. constitut. 2. def. 7. num. 4.

*(b) MASCARD. d. l. n. 7. MENOCH. d. pres. 139. n. 24. TREN-
TACINUS var. resol. lib. 7. resol. 2. n. 19.*

(c) Vid. CARPZ. d. const. def. 8.

XXXIV.

Tempus Annale autem præprimis consideratur in Beneficialibus: Virtute namq; Regulæ Cancellariæ de añali possessore defendendus est possessor, qui etiam absque titulo possessionem Beneficii per unius anni spacium pacificè continuavit, præsumendo nimirum, ac si possessionem ejusmodi annalem mediante titulo quodam canonico adeptus sit: (a) Nonnunquam tamen etiam in prophanis cursus annalis ad producendam tituli præsumtionem efficax est. (b)

(a) De hâc materiâ multa hic addere consultò omittimus, ne actum agere videamur; Exstant enim in dict. Reg. Cancell. multi Commentarii, inter quos non infimum locum obtinent, quos scripsit & congeffit LUDOV. GOMES. qui quæst. 8. rationem exponit, quare Regula ista annalis, non autem triennis defendat possessorem etiam absque titulo, & quæst. 17. dispositionem hujus Reg. non saltem in beneficiis simplicibus, sed etiam curatis locum habere statuit; ad quos B. L. remittimus.

(b) Sic

19
19

(b) Sic v. g. si Vasallus per integrum annum domino sciente, præsente nec contradicente, sed servitium ab eo tanquam Vasallo recipiente, in alicujus rei possessione tanquam feudalis fuerit, & adhuc sit, licet non possit probare, se aut patrem suum de eâ investitum esse, tamen titulus investituræ pro Vasallo præsumitur, ita tamen ut præsumtionem hanc Vasallus mediante iuramento confirmet, quo facto, ejus assertioni juratæ (sive petitorio sive possessorio agatur,) tamdiu stare debet, usque donec Dominus actor contrarium, scilicet investituram vel concessionem nullam intervenisse, probaverit, uti eleganter docet ROSENTH. de Feud. cap. 6. Concl. 79. n. 2. & in gl. a. per text. in c. 1. §. fin. de consuet. rect. feud. add. SCHRAD. de feud. p. 5. c. 2. n. 13. in 15. fallent. & c. 5. n. 2. GOMES. in præfat. ad d. Reg. Cancell. de ann. poss. At hæc de tituli præsumptione pronunc dicta sufficiant: Sit itaque

Soli DEO Gloria.



(b) Sic v. g. si Vassalus per integrum annum domino sciente,
 presentie nec contradicente, sed servitium ab eo tanquam
 Vassallo recipiente, in aliquo rei possessione tanquam seu-
 dallas fuerit, & adhuc sit licet non possit probare, se suc-
 ceptum suum de ea investituram esse, tamen eius investi-
 tura pro Vassallo presumitur, in tantum ut presumptionem
 hanc Vassalus mediante iuramento confirmet, quo facto,
 eius affectio iurata (sive pectore sive possessione agatur),
 tandem stare debet, usque donec Dominus actor convin-
 cat, scilicet investituram vel concessionem nullam interve-
 nisse, proaverit, ut eleganter docet Rosen. n. de Bell. cap.
 o. Concl. 70. n. 2. Et in gl. 2. per text. in c. 1. §. 1. de consuet.
 vel feud. add. SCHRAED. de feud. p. 2. c. 2. n. 12. in 1.
 folent. §. c. 2. n. 2. Gomez. in presat. ad d. Reg. Cancell.
 de mun. dog. At hanc de simili presumptione pronuntia-
 bastian: Sit itaque...

Soli DEO Gloria.





NOB. CLARISSIMO ET DOCTISSIMO

D. JOACHIMO ANDREÆ

DÜRFE L D I O,

Hallens. Saxoni, J. U. Doctorando, Inaugurales de PRÆ-
SUMPTIONIBUS Theses in Universitate nostrâ Er-
fordiensi publicè propugnanti.

Quid, JOACHIME, refers *Aridum* cognomine,
Campum?

An sicca mentis sunt Tibi jugera?
Fertilitatis Inops Messis? num messibus orbos

Astræa Campos ingenii terit?

Erramus; Mens namque Tibi est fœcundior, omni,
DÜRFE L D E, Juris culta Scientiâ.

Quam versata Tuâ, felici vomere! pennâ,
Præsumptionum Materies probat.

Non arida Themidos, sunt divitis ubere Campi
Procognosticon tam culta Novalia.

Fortunata Themis Tua Jugera, Tempora quidni
Frudentibus circumdet adoreis?

Hicce festinè adgratulabatur

JOANNES JODOCUS HUNOLD, SS. Th. Do-
ctor &c. h. t. Universitatis Rector Magnificus.

Fertilis ingenio es, quamvis sis nomine ficcus:
Nam spicis flaves Palladis & Cereris.

G

Tu

Tu nil præsumis, sed monstras Te esse peritum
Juris, sis constans, Ubera messis erit.

Hisce gratulatur Clarissimo Dno Doctorando JOACHIMO ANDREÆ DÜRFELDIO universam Præsumptionis & Præscriptionis materiam pro Inauguratione defendenti

GEREON MOLITORIS, Promotor
& Facultatis Juridicæ Senior.

DUm, DÜRFELDE, Tuo, quid sit PRÆSUMPTIO, tractas
nervosè Scripto discutis atque doces.
Quivis Te dignum summo Doctoris honore
præsumit, faustum fatur & ipse Tibi:
Ipfus & hinc sacre Themidos PRÆNOBILIS ORDO
hæc confert Studiis præmia digna Tuis.
Gratulor ex animo, magni Patris æmula Proles,
Ut Tibi partus honos commoda mille ferat.

Hæc

*Prænobili ac Clarissimo Dno J. A. DÜRFELD, post bi-
duam ad Doctoratus gradum promovendo pro o-
mnigenæ salutis voto & certioris amicitie simbolo
offerebat*

JOHAN. HENRICH MEIER.

NOminis & famæ traheris fulgore PATERNÆ,
FRATRIS & exemplum præmonitus sequeris,
Conarisque pari conamine. Faxit Iova,
Successus etiam possis habere pares.


Id quod

*Prænobili ac Pereximio J. U. D. Conterraneo
& Fautori suo æstumatissimo cordicitus ex-
optat*

FRIEDERICUS RUDLOFF, J. U. C.

F I N I S.





Asfust, Diss, 1670 - 1676


ULB Halle 3
004 326 342



Sl.

VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13

1673/1

25
10

JURIDICUS
RALIS

IPRÆ- IONE,

EM
AUCTORITATE
RUM ORDINIS
TIQUA UNIVERSITATE
ERFURTENSI

ENTIA
Titulum, ejusque privi-
timè consequendi,

antemeridianis
ESIDIO
ARISSIMI

HENRICI II, J. U. D.

meridianis
ÆSIDE
ORUM, quàm CANDI-
MINI submittit

NDREAS Dürfeld/

elico Mariano.
clo. Inc. LXXIII.

KIRSCHIANIS.



19

